ANALYSIS LOGICA TRIGINTA PSALMORVM, A PRIMO SCILICET AD tricesimum-primum:

Authore GVLIELMO TEMPLE *Dublinienſis apud Hibernos Collegij Præpoſito.*





LONDINI,
Excudebat RICHARDVS FIELD.
1611.



NOBILISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO ROBERTO CECILIO Comiti Salisburiensi, Vicecomiti Cranbornensi, Baroni de Essingdon, Summo Angliæ Thesaurario, Regiæ Maiestati à Secretioribus consilijs & principali Secretario, Militi clarissimi ordinis Garterij, & Academiæ tum Cantabrigiensis apud Anglos tum Dubliniensis apud Hibernos honoratissimo Cancellario.



VOD mihi ob oculos proponebã (Comes nobilissime) postquã inuisere Hiberniam & Dubliniensis Academiæ moderandæ prouinciã suscipere in animum induxerã, vt nẽpe moliri quid & efficere queam, vnde ad illustrandam Iesu Christi gloriam afferri ali-

quid potuisset: id iampridem præstare studui, animo saltem & conatu, vtcunque re & euentu successerit. Non multum temporis intercessit, ex quo tentare cœpi quid in Theologicis, præsertim in explicatione Psalmorum, analysis Logica consequi valeat. Idem denuo perlibenter aggredior, non vt antehac, Psalmis aliquot sparsim excerptis & patrio idiomate expositis, sed serie sua & Latinè tractatis. Quod in hoc genere conatus sum, id Amplitudini & nomini tuo (illustrissime Comes) inscribendum esse censui. In quo si peccauerim, tantuli peccati ream virtutem tuam esse necesse est. Nam fecit illa, vt tibi meritissimò deberi putem, quæcunque à me proficisci officia possint vel maxima. Agnosco teneri me tum communi quodam vinculo summi erga nomen tuum honoris & obseruantiæ, tum singulari meo ac proprio. Vinculum commune multiplex est: egregium est: & patet latissimè: adeo vt iustam historiam desideret. Sed à me summa tantùm eáque paucula capita breuissimè percurrentur. Omitto quæ à natura, generis splendore, doctrinæ institutione ornamenta acceperis: omitto gradum quem obtines clarissimæ in republica functionis & dignitatis: omitto promptissimam alijs succurrendi

currendi voluntatem, insignem etiam iustitiam ac bonitatem in omnes. Ornant te ista incredibiliter, & nomini tuo decus cōparant apud vniuersos. Sed illa quanta & quàm admiranda sunt? Esse scilicet propugnatorem & columnam veræ religionis: esse Senatorem longè prudentissimum: esse denique vindicem & patronum literarum. Senatoriæ prudentiæ gloria sic te excellere, vt reipublicæ regendæ scientissimus habeare & celebrêre, constat partim ex eo quòd consilia abs te inita procurandæ reipublicæ & tuendæ religionis fælicissimo susceptarum actionum euentu non modò Magnæ Britanniæ sed vniuersæ Europæ semper approbaueris: partim inde, quòd propter admirabilem in expediendis amplissimi regni grauissimis negotijs dexteritatem duobus Monarchis, ijsq́; omnium quos nostra cæteræue gentes viderunt illustrissimis, non modò à secretioribus consilijs perpetuò fueris, sed vtrique etiam (quod minùs sæpe accidit) multo charissimus. Neque id mirum cuipiam videri potest adeo pollere te scientia administrandi publica summorum Regum negotia & Monarchias, cogitanti nimirum quàm magni interest à quo instituti sumus. Pericles in Phædro Platonis ideo dicitur cæteris oratoribus

 ribus


ribus palmam præripuiſſe, quòd Anaxagoræ fuiſſet auditor, à quo egregia quædã & magnifica addiſcere potuiſſet. Cum Homerus Vliſſem ſapientiæ nomine clarum apud omnes & illuſtrem vult reddere, fingit eum à Pallade inſtructum fuiſſe. Id ſi ita eſt: quis tuam (præſtantiſſime Comes) fœlicitatem non admiretur? Etenim in tua perſona ad excellentes naturæ dotes & ad vſum illum tractandæ reipublicæ, quem ſub maximorum Principum auſpicijs maximum conſecutus es, acceſſit & illud, vt gerendæ reipublicæ diſciplinã ex inſtitutis & actionibus accerſeres patris tui, hominis politicæ ſapientiæ laude ſic apud orbis Chriſtiani Principes commendati, vt ex illius ore, ſi quando de ſtatu publico & ſummorum Regum negotijs diſſereret, diuini ſemper aliquid & oraculorum ſimile prodire exiſtimaretur. Expoſui hactenus (honoratiſſime Senator) commune illud vinculum, quo me vnà cum alijs obſtringi fateor ad te eximijs officijs colendũ honoris & obſeruantiæ. Audies, ſi placet, quod me ſingillatim & propius attingit: immò quod dedicationem iſtam qualemcunque deberi à me tibi planè euincit. Es tu quidem clariſſimus Cancellarius vt Academiæ Cantabrigienſis, ſic etiam Academiæ apud

Hibernos Dublinienſis, cuius me deſignatum Præpoſitum voce & literis comprobaſti. Quem ergo potius quàm te (illuſtriſſime Comes) obſeruandũ mihi & celebrandum proponerem? Academiæ noſtræ, cum primùm ab Elizabetha ſereniſſima Principe ſata eſſet, & patris tui Senatoris excellentiſſimi tutelæ commendata, praeclarè voluiſti: acceptam in patrocinium tuum, & expoſitam iniurijs temporum, non modò pro authoritate tua aduerſus vim omnem & inſidias maleuolorum tutatus es, ſed etiam pro tua apud huius imperij Monarchas gratia ſingulari, eandem ſubſidijs augẽdam & amplificandam curaſti. Teſtis eſt annua illa & gratiſſima penſio, quæ authore te ac ſuaſore & conceſſa primùm eſt Dublinienſi Collegio ab illuſtriſſima illa Elizabetha Angliæ Regina, & confirmata deinceps à Iacobo magnæ Britanniæ Rege potentiſſimo. Teſtis etiam eſt Vltonienſis apud Hibernos plantatio: quæ intercedente & moderante te deſcripta ſic eſt & informata, vt intra pauculos annos non mediocre inſtrumentum & apparatũ ſuppeditatura ſit, non ſolùm ad ſuſtentandam quaſi vitam erectæ Academiæ, ſed ad neruos & vniuerſi corporis membra roboranda, ne Societas tantæ ſpei, tam oportuna ad vſum ſe-

rendæ ac propagandæ religionis, à tanta Principe inchoata, à tam præpotente Rege adiuta magnificè & confirmata, recidere aliquando cogatur & interire. Debet igitur tibi (Comes nobilissime) Academia Dubliniensis id omne, quod patronus optimus à gratissimis clientulis expectare queat. Debet insuper Amplitudini tuæ Præpositus Collegij, quòd & vindicaueris ipsum periclitantem olim de capite, fortunisq́ omnibus, & naturæ tuæ excellenti bonitate prouocatus, eidem tum offerre gratiam, tum præstare non grauatus sis. Vides iam (Cecili Comes illustrissime) quibus argumentis inductus analysin Psalmorum istam nomini tuo consecrarim. Erit Amplitudinis tuæ in eam partem interpretari studium in hoc voluntatis meæ, vt siquid in me vel ingenij vel industriæ & facultatis sit, id omne deuotum existimes & consecratum ornando & obseruando nomini tuo. Dublinij è Trinitatis Collegio Elizabethæ Reginæ,

Amplitudini tuæ
deuotissimus

Gulielmus Temple.



ANALYSIS LOGICA TRIGINTA PSALMORVM, A PRIMO SCILICET ad tricesimum primum.

PSAL. I.

1 *Beatus est vir ille, qui non ambulat in consilio improborum: & in via peccatorum non stat: & in cathedra derisorum non sedet:*

2 *Sed cuius oblectatio est in lege Iehouæ: & qui de lege illius meditatur interdiu ac noctu.*

3 *Est enim sicut arbor plantata ad riuos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo: cuius folium non decidit. Sic quicquid faciet, prosperabitur.*

4 *Non ita improbi sunt: sed sicut gluma quam dispellit ventus.*

5 *Idcirco non consistent impij in illo iudicio: nec peccatores in cœtu iustorum.*

6 *Nam*

6 *Nam agnoscit Iehoua viam iustorum: at via impiorum peritura est.*

ANALYSIS. PSAL. I.

QVæstio disceptata in hoc Psalmo à Propheta, huiusmodi est:

An solus pius sit beatus.

In huius quæstionis disceptatione id sibi propositum habet Propheta, vt doceat quis sit è tam infinita hominum multitudine, in quem cadit beatitas: ex consequenti verò, vbi conuenire in eum solũ qui pietatis studio tenetur beati nomen constiterit, cohortetur ad vitæ sanctimoniam. Si enim quem fingunt Stoici, aut quem admirantur Peripatetici, aut de quo somniat Epicurus, in beatorum tribum transferendus non sit, sed is duntaxat qui pietatis & iustitiæ officia secutus legis diuinæ institutis parere studet: æquum est, si beati esse volumus, vt sepositis mundi delicijs, & abiudicata vanitate, piè viuendi rationem persequamur. Nam Prophetam disputantem de Beato, & quis eo tam honorifico nomine dignus censendus sit pro Spiritus sancti iudicio statuentem, sic interpretari conuenit, ac si in hanc sententiam dissereret:

Si soli pij sint beati: qui beati esse volunt, eos studere oportet pietati.

At soli pij sunt beati.

Qui igitur beati esse volunt, eos studere oportet pietati.

Propositio est deductum è recepta apud omnes Maxima consectarium: viz. *Qui obtinere quid eoq; frui vult, par est vt medijs ad id consequendum accommodatis vtatur.*

Assumptio est Psalmi, quem in manibus habemus, subiecta quæstio, & duobus Psalmi prioribus versiculis comprehensa.

Conclusio Syllogismi est omnium Psalmorum consequentium argumentum: cum eorum quilibet sit instar excellentissimæ concionis apud Dei populum habitæ ad persuaden-

ſuadendum de ſtudio pietatis.

Iam verò priuſquam ad diſputandam propoſiti Syllogiſmi aſſumptionem, ſeu ad Pſalmi primi theſin verſ. 1. & 2. comprehenſam, accedit Pſalmiſta: exhibet nobis hominis pij deſcriptionem inſignem ab effectis. Nam pius iſte

1. *Partim ab illicitis actionibus ſe continet.* verſ. 1.

2. *Partim ad actiones pietatis incumbit.* verſ. 2.

Illicitæ actiones, à quibus ſe cohibet, gradibus quibuſdam diſtinguuntur ſingulæ, notatis inſuper ſingularum efficientibus ſingulis, ſic:

1. *Hortatu improborum ſtatuere quid ac concludere de violatione legis diuinæ. Atque hoc idem eſt quod ambulare in conſilio improborum.*

2. *Conſilo capto peccata committendi, eiſdem ſtudioſè indulgere: ad ea animo & cogitatione quaſi adhæreſcere, nec inde abduci ſe pati monitis aliorum. Atque hoc idem eſt quod in via peccatorum ſtare.*

3. *Ex inueterata peccandi conſuetudine & quodam impietatis habitu, ludibrio habere officia pietatis & iuſtitiæ, immò publicè profiteri tradendæ nequitiæ diſciplinam. Atque hoc idem eſt quod ſedere in cathedra deriſorum.*

Atque hæc eſt deſcriptionis pars prior de actionibus quas declinat & auerſatur pius.

Actiones, ad quas in vulgari vitæ conſuetudine præſtandas ſe refert, ſunt per Synecdochen membri omnia legis diuinæ munera & officia. Sed duo tantùm in hominis pij deſcriptione recenſentur, viz.

1. *Proſequi amore legem Iehouæ, & in ea ſe vehementiùs oblectare,* ver. 2. in principio.

2. *De lege Domini meditari aſſiduè.* v. 2. in fine.

Expoſita hominis pij deſcriptione, parat ſe Pſalmiſta ad quæſtionis inſtitutæ explicationem. Quæritur ergo quis è tam incredibili hominũ numero Beatus dicendus ſit. Propheta hoc tam illuſtre nomen & magnificum ſoli pio tribuendum eſſe contendit. Eum igitur de hominis pij cauſa & dignitate ampliſſimè perorantem audiamus. Propoſitam controuerſiam Syllogiſmo tali conficit ac definit:

Cui

Cui omnia fœliciter ſuccedunt in hac & futura vita, is beatus eſt.

At ſoli pio omnia fœliciter ſuccedunt in hac & futura vita, verſ.3 in fine.

Solus igitur pius eſt beatus. verſ.1.& 2.

Propoſitio omiſſa eſt: vtpote quæ deſcriptionem complectatur hominis beati adeò notam & inſignem, vt in omnium ferè oculos incurrat.

Aſſumptio eſt verſ. 3. in fine. Tertij verſiculi poſtremam clauſulam ſic exponendam eſſe, conſtare poteſt è collatione facta clauſulæ huius cum verſ.4. & 5. vbi impij, quorum conditio ad piorum ſtatum diſſimilitudinis argumento illuſtrandum proponitur, Spiritus ſancti iudicio pro ijs cenſentur, quibuſcum & in hac & in conſequenti vita agitur infœliciſsimè. Nam ſi vel glumæ inſtar fuerint quam leuiſſimus flatus diſsipat, vel in eo ſtatu verſentur vt neque iudicij adhibiti, dum hîc viuitur, examen ſuſtinere queant, nec commune quid habeant cum cœleſti illa iuſtorum familia: quid illis in alterutra vita miſerius eſſe poteſt? Quòd ſi igitur id Pſalmiſtæ propoſitum ſit vt piorum conditionem oſtendat & illuſtret è notata diſſimilitudine quæ intercedit cum pijs: par eſt, ſi cum impijs in alterutra vita miſerè & infœliciter agi docuerit, Pſalmiſtam de pijs diſſerentem ſic interpretari, vt putemus demonſtrari ab eo, cum pijs, ſiue huius ſiue futuræ vitæ tempus ſpectemus, agi præclariſſimè: non quòd ſemper vtantur pij rebus ſecundis & ad voluntatem fluentibus, ſed quòd euenta ſingula ſint totidem teſtimonia diuinæ erga ipſos gratiæ ac beneuolentiæ. Sed Aſſumptio Syllogiſmi quomodo tractetur videamus. Nam in ea illuſtranda Pſalmi pars reliqua tota conſumitur. Aſſumptionis igitur illuſtratio altera eſt à comparatis: ab efficiente, altera. Comparatio duplex adhibetur: prior eſt à ſimilibus, à diſſimilibus poſterior. Similitudo adhibita huiuſmodi eſt:

Quemadmodum arbor ſata ad riuos aquarum profert fructū ſuo tempore, & retentis folijs ſemper in ſuo genere viret vigetq;.

Sic

Sic homini pio vsu venit vt Iehouæ gratia singulari semper vigeat, id est, ei succedant omnia in alterutra vita fœlicissimè.

Protasis comparationis est versu tertio, vbi arboris nomine per Synecdochen generis intelligitur Palma vel Oliua. Palmam describit Plinius, quemadmodum Prophetæ arbor ista describitur: nempe è subiecto loco vbi conseritur: ab effecto, per temporis circumstantiam amplificato, fructu nimirum quem oportunè profert: ab adiuncta denique perpetua viriditate ac vigore.

Apodosis est vers. 3. in fine. Hîc similitudinis allatæ accommodatio spectanda est. Interpretes referri volunt insitionem nostram in Christum, plantatione arboris propter riuos aquarum: bonorum operum productionem, productione fructuum: perseuerantiam in fide, perpetua foliorũ viriditate. Commodè ista & perscitè dici agnosco. Id tamen tenendum est, comparationem in illo perpetuæ viriditatis capite præcipuè sitam esse. Illud propositum est Psalmistæ, vt doceat foliorum viriditate perenni, ea nempe quam nulla frigoris aut procellæ vis perimit, quasi ad oculum repræsentari perpetuitatem illam fœlicis in alterutra vita successus, quem homini pio obuenturum esse disserit.

Sequitur ad illustrandam Assumptionem comparatio à dissimilibus. Ea verò sic instituitur:

Impius aduersa semper & misera conditione vtitur. vers. 4. in principio, & vers. 5.

At homini pio omnia succedunt fœliciter. vers. 3.

Dissimilitudinis propositionem demonstrat Propheta ab adiuncto impiorum: sic nempe:

Qui ex vi iræ diuinæ obnoxij semper sunt æternæ reiectioni, eorum conditionem deploratissimam & infœlicissimam esse necesse est.

At impij ex vi iræ diuinæ obnoxij semper sunt æternæ reiectioni. vers. 4. in fine.

Itaque impiorum conditionem deploratissimam & infœlicissimam esse necesse est. vers. 4. & 5.

Pro-

Propositio vt res comperta satis & illustris reticetur.

Assumptionem inclusam comparatione breuiuscula & complicatam reperiemus. vers.4. in fine, *Impij* (inquit) *sunt paleæ instar quam dispellit ventus.* Comparatio ista, si euoluta & partibus suis distincta prodierit, exhibebit illico & Assumptionem de qua agitur, & Assumptionis insuper exornationem à similitudine:

Vt palea (inquit) *qua nihil contemptius esse potest, flatu quouis facillimè dispergitur:*

Sic impij, quos scilicet Iehoua contemnit insigniter & à quibus nihil ad alios emolumenti redundat, sunt vi iræ diuinæ obnoxij æternæ reiectioni.

Conclusio Syllogismi est comprehensa vers.4. in principio: sed versiculo quinto iterata & exposita luculentiùs. Siquidem disertis verbis asseritur ac concluditur, impios scilicet, quia paleæ instar sunt, id est, æternæ dissipationi iusto Dei iudicio expositi, idcirco *non substituros in illo iudicio, nec in cœtu iustorum*: id est, ad rationem perditissimæ conditionis redactum iri: quippe qui nihil commune cum pijs in præsentis aut futuræ vitæ excellentibus bonis habituri sint. Vocabulo *iudicij* notari statuo insignem illam & consolationis plenissimam conditionem, qua pij, dum hæc vita agitur, è sensu diuini erga se amoris in rerum singularum singulis euentis, fruuntur. Cœtus verò iustorum est beatus ille in regno cœlesti status.

Adhuc comparatio duplex ad Assumptionis superiùs propositæ illustrationem adhibita est.

Superest eiusdem Assumptionis explicatio ab efficiente conditionis prosperæ conclusa in hunc modum:

Cuius institutam vitæ rationem agnoscit Iehoua approbatq́;, cum eo semper agitur fœliciter.

At pius is est, cuius institutam vitæ rationem approbat Iehoua. vers.6. in principio.

Itaque pius is est, cui semper succedit fœliciter. vers.3.

Assumptio est amplificata à collatione parium contrariorum; sic:

Ie-

Iehoua odit viam impiorum. vers.6. in fine. Vbi è Metonymia effecti intelligenda est efficiens: efficiens (inquã) ad nihilum redigendi vias impiorum. Ea verò est odium Iehouæ aduersus improbos susceptum. Atque hac interpretatione retinebitur analogia prioris mẽbri ad posterius, comprehensi versu sexto.

Itaque approbat viam iustorum. vers.6. in princip.

Hactenus de hominis pij in alterutra vita fœlici successu producta disputatio est. Vnde sequitur in solum pium Beati nomen conuenire.

PSAL. II.

1 *QVare tumultuantur Gentes & nationes meditantur inane?*

2 *Quare sistunt se Reges terræ, & proceres consultant simul contra Iehouam & contra Christum eius?*

3 *Dicentes: Dirumpamus lora istorum, & proijciamus à nobis funes istorum.*

4 *Sedens in cœlis ridebit: Dominus subsannabit eos.*

5 *Tunc alloquetur eos in ira sua, & in æstu iræ suæ confundet eos.*

6 *Dicet: Etiam ego vnxi ac constitui Regem meum super Sionem montem sanctitatis meæ.*

7 *Decretum enarrabo: Iehoua dixit mihi, Filius meus es: ego hodie genui te.*

8 *Pete*

8 *Pete à me, & donabo gentes in hæreditatem tuam: & fines terræ in possessionem tuam.*

9 *Confringes istos virga ferrea: vt vas figlinum dissipabis eos.*

10 *Nunc ergo Reges prudentes estote: eruditionem percipite ô Iudices terræ.*

11 *Colite Iehouam cum reuerentia: & exultate cum tremore.*

12 *Osculamini filium ne irascatur & pereatis in via, quum exarserit vel minimùm ira eius. Beati qui confidunt in ipsum.*

ANALYSIS. PSAL. 2.

Instituta est in hoc Psalmo à Dauide cohortatio vt omnes hominum ordines, siue Principes fuerint, siue subditi, sepositis consilijs & machinationibus ad regnum Christi labefactandum susceptis, Christo se subijciant, ipsum agnoscant & colant vt Dominum, ipsius legibus & institutis obtemperent. Nam quod hîc ipse de se commemorat Propheta, id de Christo, cuius personam referebat, interpretari conuenit. Refert historia sacra populi Israelitici tribus decem, Philisteos etiam, Ammonitas & Moabitas cepisse aduersus Dauidem arma, eo consilio vt ereptam Dauidi, quam à Domino acceperat, Regiam dignitatem ad se transferrent. Sed perinde certum est Iudæos eorumque Principes, summos Pontifices, Scribas ac Pharisæos vnà cum Herode & Pilato, consilia aduersus Christum & ipsius regnum varia iniisse. Huius tam nefariæ & perditæ conspirationis typus perinsignis fuit inita de interitu Dauidis multiplex coniuratio.

Princeps igitur quæstio, quam Psalmo isto explicandam suscepit Propheta, hæc est:

Par

Par esse vt omnes hominum ordines tam Principes quàm subditi, sepositis aduersus Christum consilys, se Christo & ipsius legibus subiiciant. vers. 10. 11. 12.

Hoc illud esse, ad quod cohortatur Propheta, constat partim è facta apostrophe, vers. 10. ad Reges & Iudices terræ, partim è cohortationis adhibitæ argumentis. Apostrophe conclusionem ex antegressa suasione deductam continet. Sic enim Reges & Iudices, id est, per Synecdochen, omnes hominum ordines affatur Propheta regius; Videtis suscepta à vobis aduersus Christũ cõsilia diuinitus intercipi semper & eludi: exploratum certumque est Iehouam contulisse in Christum Regiæ dignitatis splendorem, eúmque Ecclesiæ suæ regendæ præfecisse: nec minus compertum est fore vt, si diutius reluctemini, grauissimas pœnas luatis vestræ in hoc genere tam incredibilis contumaciæ. Quapropter ô Reges & Iudices terræ, nolite diutius cõtra Christi principatum niti: sed positis armis & abiectis tumultuandi consilijs Christum pro summo Principe agnoscite: ipsum omni honore colite: & religionem ab eo inductam amplectimini. Atque hic sensus est instructæ à Propheta apostrophes. Animaduertite (inquit v. 10) & eruditionem percipite: id est, cognoscite præcipere vobis Iehouam vt ab omni deinceps contra Christi regnum tumultuandi cogitatione desistatis. Tum vers. 11. & 12. suadet vt & priuatim omnem Christo honorem cultúmque præstent, & publicè insuper profiteantur esse se Christi subditos, & religionis ab eo institutæ legibus obtemperaturos. Publica, quæ exigitur, professio Christum & ipsius instituta amplectendi, proponitur vers. 12. vbi de filij exosculatione præcipitur. Apud priscos superiori ab inferioribus præstitum osculum erat agnitæ ab ipsis subiectionis publicum, & insigne testimonium, ac vt vulgò iam loquimur, tanquam perpetuæ erga Principem fidelitatis iuramentum. Sed cultus istius & honoris, quem Christo deferre conuenit, formula quædam vers. 11. è duobus adiunctis præscribitur. Etenim præstari debet cum summa animi & reuerẽtia & alacritate. Exultate

8 *Pete à me, & donabo gentes in hæreditatem tuam: & fines terræ in possessionem tuam.*

9 *Confringes istos virga ferrea: vt vas figlinum dissipabis eos.*

10 *Nunc ergo Reges prudentes estote: eruditionem percipite ô Iudices terræ.*

11 *Colite Iehouam cum reuerentia: & exultate cum tremore.*

12 *Osculamini filium ne irascatur & pereatis in via, quum exarserit vel minimùm ira eius. Beati qui confidunt in ipsum.*

ANALYSIS. PSAL. 2.

Instituta est in hoc Psalmo à Dauide cohortatio vt omnes hominum ordines, siue Principes fuerint, siue subditi, sepositis consilijs & machinationibus ad regnum Christi labefactandum susceptis, Christo se subijciant, ipsum agnoscant & colant vt Dominum, ipsius legibus & institutis obtemperent. Nam quod hic ipse de se commemorat Propheta, id de Christo, cuius personam referebat, interpretari conuenit. Refert historia sacra populi Israelitici tribus decem, Philisteos etiam, Ammonitas & Moabitas cepisse aduersus Dauidem arma, eo consilio vt ereptam Dauidi, quam à Domino acceperat, Regiam dignitatem ad se transferrent. Sed perinde certum est Iudæos eorumque Principes, summos Pontifices, Scribas ac Pharisæos vná cum Herode & Pilato, consilia aduersus Christum & ipsius regnum varia inijsse. Huius tam nefariæ & perditæ conspirationis typus perinsignis fuit inita de interitu Dauidis multiplex coniuratio.

Princeps igitur quæstio, quam Psalmo isto explicandam suscepit Propheta, hæc est:

Par esse vt omnes hominum ordines tam Principes quam subditi, sepositis aduersus Christum consilijs, se Christo & ipsius legibus subijciant. vers. 10. 11. 12.

Hoc illud esse, ad quod cohortatur Propheta, constat partim è facta apostrophe, vers. 10. ad Reges & Iudices terræ, partim è cohortationis adhibitæ argumentis. Apostrophe conclusionem ex antegressa suasione deductam continet. Sic enim Reges & Iudices, id est, per Synecdochen, omnes hominum ordines affatur Propheta regius; Videtis suscepta à vobis aduersus Christũ cõsilia diuinitus intercipi semper & eludi: exploratum certumque est Iehouam contulisse in Christum Regiæ dignitatis splendorem, eúmque Ecclesiæ suæ regendæ præfecisse: nec minus compertum est fore vt, si diutius reluctemini, grauissimas pœnas luatis vestræ in hoc genere tam incredibilis contumaciæ. Quapropter ô Reges & Iudices terræ, nolite diutius cõtra Christi principatum niti: sed positis armis & abiectis tumultuandi consilijs Christum pro summo Principe agnoscite: ipsum omni honore colite: & religionem ab eo inductam amplectimini. Atque hic sensus est instructæ à Propheta apostrophes. Animaduertite (inquit v. 10) & eruditionem percipite: id est, cognoscite præcipere vobis Iehouam vt ab omni deinceps contra Christi regnum tumultuandi cogitatione desistatis. Tum vers. 11. & 12. suadet vt & priuatim omnem Christo honorem cultúmque præstent, & publicè insuper profiteantur esse se Christi subditos, & religionis ab eo institutæ legibus obtemperaturos. Publica, quæ exigitur, professio Christum & ipsius instituta amplectendi, proponitur vers. 12. vbi de filij exosculatione præcipitur. Apud priscos superiori ab inferioribus præstitum osculum erat agnitæ ab ipsis subiectionis publicum, & insigne testimonium, ac vt vulgò iam loquimur, tanquam perpetuæ erga Principem fidelitatis iuramentum. Sed cultus istius & honoris, quem Christo deferre conuenit, formula quædam vers. 11. è duobus adiunctis præscribitur. Etenim præstari debet cum summa animi & reuerẽtia & alacritate. Exultare

(inquit) cum tremore: id est, non seruile quid aut coactum à vobis requiritur, sed cultus huiusmodi, qui à studio paratissimæ voluntatis & ab affectu animi in Iehouæ amore ac gratia exultantis proficiscitur: exultantis tamen sic, vt eundem Iehouam semper memineritis esse & omnis iniustitiæ vindicē, & infinita maiestate gloriosum; ac proinde in obedientiæ & datæ fidei curriculo cum tremore filiali progrediendum esse.

Iam verò vt Principibus & subditis cuiusuis ordinis de obsequendo Christi imperio & institutis persuadeat, triplici argumento contendit. In hanc enim sententiam cum ipsis disserit:

Successus consiliorum & conatuū vestrorum aduersus Christum semper irritus futurus est: Christo Iehoua Regium sceptrum & summum in Ecclesia sua principatum detulit: & Christo vlterius reluctantes ipsi vobis æternum exitium accersetis, vers.1.& 2. vers.6.vers.12.

Quapropter abijcite (ô Reges Regúmque subditi) omnem de Christi regno conuellendo cogitationem, vósque Christo & ipsius legibus alacriter & reuerēter subijcite.v,10.11.12.

Videmus quod Psalmo toto tractatur, id vno enthymemate comprehendi vniuersum. Enthymematis antecedens tria membra complectitur, tria nempe institutæ suasionis argumenta, eaque separatim à Dauide exposita, & suis locis demonstrata. Sed cum priori membro de consilijs & machinationibus contra Christum susceptis agatur, visum est Prophetæ descriptionem conatuum istorum ante instituere, quàm ad propositam demonstrationem accedat. Conatus igitur illi Principum ac populi describuntur:

1. *Ab efficientibus, vers.1.& 2. Dauide regnante, Principes ac populus decem tribuum, Philistei, Ammonitæ ac Moabitæ aduersus vnctum Iehouæ tumultuati sunt: Christi autem tempore, Principes & populus Iudæorum, Herodes & Pilatus Vnctum Domini persecuti sunt.*

2. *A notatis in specie conatuū partibus: quæ sunt huiusmodi, viz.*

   1. *Tumultuari & fremere, vers.1.in principio.*

   2. *Rationes & consilia inire de eo persequendo, & expediendo*

diendo quod propositum est. vers.1. in fine.

3. *Collectis copijs & explicatis turmis, in campo & acie consistere, vers.2. in principio.*

4. *Meditari vnà ad artes & stratagemata, quibus occurri possit inopinatis euentis, & rei susceptæ executio fœlicius succedere, vers.2. in medio.*

3. *A subiectarum personarum designatione, aduersus quas sese parant & instruunt Principes & populus. Consilia & fœdera inierunt non modò contra Christum, sed in Christi persona contra Iehouam ipsum: quo authore regnũ Christi constitutum est, vers. 2.*

4. *A fine conatibus proposito. Id vnum intuentur ac volunt confœderati isti, vt scilicet Christi regnum labefactetur & cõcidat, vers.3. Vbi per lora & funes disciplinam & leges, quibus Christi regnum continetur, oportet intelligere. Sed huic fini subijcitur exornatio à confœderatorum effectu. Inducuntur siquidem à Propheta alij alios mutuò cohortantes ad infringenda Christi instituta, ipsumque de regio solio deturbandum.* Dirumpamus (*inquiunt*) lora istorum, & proijciamus à nobis funes istorum. *Istorum, id, est Iehouæ, Christi, & eorum omnium, qui religionem amplectuntur & colunt.*

Descriptis fœderatorum nefarijs conatibus, accedit Propheta ad explicandum enthymematis antecedens. Sed antecedentis membra singula separatim tractantur. Prius illud de fœderatorum irritis aduersus Christum conatibus sic demonstratur:

Si Iehoua conatus vestros minimi facit, eosq́; dissipaturus est: tum quicquid aduersus Christum molimini, id omne irritum futurum est.

At Iehoua conatus vestros minimi facit, eosq́; dissipaturus est, vers.4. & 5. vbi Iehouæ tribuitur risus & subsannatio, vt inde constet quanto contemptu hominum impiorum conatus excipiat. Propositum esse Iehouæ vt hostes Christi ipsorumq́; facinorosas coitiones redigat ad nihilum, docetur vers. 5.

Itaque quicquid aduersus Christum molimini (ô Reges Re-

giúmque subditi) id omne irritum futurum est, vers. 1. & 2. Vtcunque vterque versiculus figuratæ per interrogationem elocutionis habitu proponatur, dubium tamen non est quin ea sit, quam exposui, vtriusque versiculi vis & sententia.

Ac ne perduellium sceleratissima factio opinionis errore inducta persuadeat ipsa sibi aut nō satis esse in Iehoua virium ad frangendos ipsorum impetus, aut credibile esse fore vt ipsos Iehoua nunquam ad supplicium vocet: Propheta facta amplificatione Assumptionis à duplici adiuncto, altero scilicet potentiæ in Iehoua, altero temporis quo dissipandæ coniurationis negotium aggressurus est, huiusmodi opinionem, siquando in perduellium animis insederit, inanem & stultam esse conuincit.

Potentia Iehouæ, quæ est longè instructissimus ad quoscunque in cœlis terrisve principatus conuellendos, significatur periphrasi illa Iehouæ, quæ in principio versiculi quarti exhibetur. *Sedens* (inquit) *in cœlis ridebit*: id est, qui potentia & maiestate infinita præditus est, eorum conatus nihili æstimabit.

Temporis adiunctum, quo rebelles istos vinculis constringendos & supplicijs excruciandos traditurus est Iehoua, principio versus quinti notatur. *Tunc* (inquit) *alloquetur eos in ira sua*, id est, eo puncto temporis, quod est ab ipso præstitutum & definitum.

Atque hæc est prioris membri, quod antecedente Enthymematis comprehensum esse diximus, demonstratio.

Secundum est de regia dignitate in Christum collata, v. 6. Atqui verò vnde constabit Iehouam detulisse Christo principatū, & in regio solio ad Ecclesiam regendam collocasse? Ad istud euincendum attulit Propheta vim duplicis testimonij. Nam de re præsenti & Iehouam ipsum testātem induxit, & decretum quoddam quasi in tabulas iamdiu relatum, ac magno cœli sigillo consignatum produxit. Hinc iam est quòd è tanti & tam excellentis testimonij authoritate in hanc formam concludit:

Si Iehoua ipse affirmat vnctum à se esse Christum in summū

populi sui regem: si etiam solenne aliquod ea de re decretum constituerit: tum longe verissimum est Christum à Iehoua regiam potestatem accepisse in populum ipsius.

At Iehoua ipse affirmat vnctum à se esse Christum in summum populi sui regem: vers. 6: & solenne insuper ea de re decretum sanxit. vers. 7. Enarrabo (inquit) decretum: id est, ego qui Dei filius æternus sum, notum vobis (ô reges regumque subditi) decretum illud faciam quod de authoritate regia mihi demandata constitutum est.

Itaque longe verissimum est Christum à Iehoua regium imperium accepisse in populum ipsius. vers. 6.

Decretum, cujus meminit Assumptio, illustrationē habet:

1. *A causa instrumentali, à qua publicatum est.*
2. *A notatis partibus.*

• Causa instrumentalis seu is cujus vox adhibita est in promulgatione decreti, est Christus Iesus. Nam à quo publicationem decreti oportebat præstari, eum Iehoua in hunc modum affatus est: *Tu es filius meus.* At hoc de nemine, si Christum excipias, dici potest: vt patet è cap. 1. epist. ad Heb. v. 5.

Partes decreti quatuor sunt:

1. *Designatio seu electio personæ, cui regia potestas delata est v. 7. Tu es (* Inquit Iehoua*) filius meus, & ex consequenti summus Rex cœli ac terræ.*
2. *Publicatio factæ designationis, vt apud quosuis innotescat, quem elegerit ac consecrauerit Iehoua in regem populi sui. Hodie (inquit) genui te. Quemadmodū vocabulo gignendi significari necesse est actionem illam qua publicè innotuit consecratum ab æterno esse Christum in Seruatorē & Regem electi populi: sic voce illa, Hodie, tempus notatur, quo Christi consecratio in Seruatorem & regem cœpit mundo innotescere, Innotescere verò tum primū cœpit; cum Christus nasceretur: ac deinde, cum baptizaretur, Deo patre è cœlis quasi concionante de Christi officio.*
3. *Regni Christo Iesu à Deo patre traditi descriptio. Regnum istud describitur:*
   1. *A notatione causæ intermediæ qua obtinebatur regnū, de quo agitur. Ea autem fuit Christi intercessio. Pete*

(inquit Iehoua) à me: & donabo gentes,&c.

2. *Ab adiuncta concessi regni qualitate seu genere: vtpote quod sit non possessio aliqua ad certũ tempus reuocata, sed hæreditas nullis temporum finibus circumscripta, ac proinde æterna.*

3. *Ab adiuncta concessi regni amplitudine: quippe quod sit non terminis Iudeæ, sed complexu vniuersi orbis definitum. vers. 8.*

4. *Decreti pars quarta est de regni Christo cõmissi administratione. vers. 9. vbi per synecdochen membri, Christi administratio integra intelligenda est, tam illa scilicet quæ ad fideles verbo et spiritu regendos adhibetur, quàm illa, qua pro seueritate iudicij diuini coercentur impij & dissipantur. Hic comparatione similium mirifica Christi facilitas in conterendis impijs illustratur.*

E tribus membris seu argumentis, quæ enthymematis superius propositi antecedente continentur, duo exposita sunt. Superest iam tertium de æterno Principum & populi exitio, si Christi imperio & legibus diutius obstiterint. Eueniet (inquit) vt in via pereatis nisi filium osculemini: id est, certo & inopinato exitio addicemini, nisi Christum Iesum pro rege & seruatore vestro agnoscatis. Sed quo argumento docet Propheta fore vt reges regúmque subditi grauissimas pœnas luant suæ in Christum contumaciæ? Exitij, in quod incidere ipsos necesse est, si Christo vlterius refragentur, notata efficiente causa, iustissima nimirum Iehouæ ira aduersus Christi cõtẽptores: thesin hanc de luenda pœna contumaciæ erga Christum sic illustrat Propheta à collatione parium oppositorum:

Qui Christo Christiq; legibus se subijciunt, erunt beati. vers. 12. in fine. vbi synecdochicws ex vna parte obedientiæ erga Christum & subiectionis (fiducia scilicet in ipsum) integra, quæ à nobis exigitur, obedientia intelligitur.

Qui Christo igitur Christiq; legibus diutius aduersantur, grauissimas pœnas luent contumaciæ suæ. vers. 12. in priore parte.

Hactenus demonstrata est primi enthymematis pars antecedens

tecedens, de irritis scilicet Principum ac populi conatibus aduersus Christum; de authoritate regia in ecclesiâ Christo delata; de exitio eorum si qui sese Christo diutius opposuerint. Hinc ergo, ex hoc triplici nimirum argumento, illustri illo quidem & ad persuadendum valde accommodato, concluditur Psalmi Princeps quæstio, excellentissima nempe adhortatio *ut Reges regúmque subditi sepositis aduersus Christum consiliis, se Christo & ipsius legibus subyciant.*

PSAL. III.

1 *PSalmus Danidis, cum fugeret metu Abschalomi filij sui.*

2 *Iehoua, quàm multi sunt hostes mei! quàm multi insurgunt contra me!*

3 *Multi dicunt de anima mea: non est vlla salus illi in Deo. Selah.*

4 *Tamen tu Iehoua clypeus es circa me: gloria mea: & extollens caput meum.*

5 *Voce mea ad Iehouam clamaui: respondit mihi è monte sanctitatis suæ. Selah.*

6 *Ego cubui & dormiui: expergefeci me. Nam Iehoua sustentabat me.*

7 *Non timebo à myriadibus populi, quæ me circundarent.*

8 *Surge Iehoua: fac saluum me Deus mi: qui percussisti omnes inimicos meos super maxillam: dentes improborum confregisti.*

9 *Iehoua est salus: super populum tuum erit benedictio tua. Selah.*

ANALYS. PSAL. 3.

Habet inscriptionem hic Psalmus. De ea primò videndum est: deinde de ipso Psalmo.

Inscriptio proponit nobis

1. *Psalmi authorem, nempe Dauidem,*

2. *Adiunctam circumstantiam temporis, quo se Propheta ad Psalmum hunc texendum retulit, id autem fuit cum metu Abschalomi filij sui ex vrbe Hierosolymitana fugeret.*

3. *Occasionem siue causam, qua adductus Propheta ad Psalmum quem habemus in manibus, meditatus est. Causa, quæ Prophetam ad huius Psalmi meditationẽ impulit, erat iustissimus quidam metus coniurationis aduersus personam suã & sceptri regij maiestatem ab Abschalomo initæ. Cũ enim de coniuratione ista Dauid inaudiisset, compertúmque haberet subniti eam exquisitissimis artificijs & consilijs, excipi multorum præpotentium applausu & votis, procedere incredibili spe perficiundi quod Abschalomo propositum erat, se denique derelictum ab Israelitis & amicorũ præsidijs orbatum in extremum rerum omnium certamen & discrimen incidisse: fuga sibi consulendum esse censuit. Hinc est quod sese ex Hierosolymis confestim proripuerit. Ac cum in periculo tam graui & imminenti nullam ad hostium consilia vel præcipienda vel dissipanda magis explicatam promptámque rationem esse cerneret, quã illam prouoluendi sese coram arca Iehouæ, & ad illius opem suppliciter confugiendi: illico ad preces conuersus, eas hoc Psalmo complexus est.*

Quod ad Psalmum ipsum attinet: subiectum à Propheta in eo tractatum, est instituta in hanc sententiam supplicatio;

Illustra gloriam tuam (o Iehoua) liberando me ab imminenti periculo coniurationis aduersum me initæ. vers. 8.

Priore parte versiculi octaui petitionem istam comprehendit Psalmista hisce verbis: *surge & saluũ me fac Deus mi.* Precatio ista Dauidis vt seruetur seu liberetur, quid aliud est quàm imminentis periculi deprecatio, cui se perfidia & scelere

lere

lere Abschalomi obiectum videbat? Ac dum Iehouam inuocat vt surgat ad liberationem præstandam, quid aliud postulat quàm vt Iehoua suam illam ad dissipandum initæ côiurationis consilium potentiam exerat & demonstret? Vt enim, dum patitur Omnipotēs homines flagitiosos & perditos curriculum impietatis suæ conficere, ipse interim quodammodo dormitare seque quieti capessendæ tradere videtur: sic cum eorum flagitia sub publici iudicij examen reuocare placet, & de ijs pœnas sumere, quasi surrexisse videri potest, & in tribunal suum iustitiæ exercendæ causa conscendisse.

Sed quibus tandem argumentis sui liberationem ab hoc tam graui & imminenti periculo persuadere vult Propheta? Repetens memoria auxilij promissionem, ijs à Domino factam qui ad ipsum confugerent, spemque omnem salutis in eo reponerent, cum apud se confidenter statueret fore vt Dominus in seruandis promissis fidem suam studiosissimè liberaret, in hanc sententiam proloquitur & disserit:

Arg. 1. *Si in angustijs periculisque constitutus gratiæ ac liberationis consequēdæ causa ad te solum ô Iehoua confugio, illustra nomen tuum ferendo opem mihi, mèque ab ista hostium meorum coniuratione liberando.*

At in angustijs periculisque constitutus gratiæ ac liberationis consequendæ causa ad te solum ô Iehoua confugio. vers. 4.

Itaque nomē tuum illustra ferendo opem mihi, mèque ab ista hostium meorum coniuratione liberando. vers. 8.

Propositio deest; sed vt de Prophetæ argumento liquidius constaret, supplendam iudicaui. Consequentiam, quæ propositione includitur, Domini explorata illa & constanti promissione ijs opem ferendi qui spem suam non aliunde suspensam, sed in ipso collocatam habent, niti videmus.

Assumptio est vers. 4. vbi profitetur Dauid, Iehouam esse sibi clypeum ad excipiendas & retundendas hostium petitiones & impetus: Iehouam esse, cuius præpotenti ope eam quam adeptus est gloriam tuetur aduersus omne dedecus & ignominiam: denique Iehouam esse, cuius velut manu extollitur ad exoptatam & illustrem vitæ conditionem, si

quando

quando prolabatur. Ista tam insignis de Iehoua prædicatio qua è tropo Metonymiæ causam pro effecto notat Propheta, fiduciæ scilicet efficientem pro ipsa fiducia, quid aliud est quàm suæ in Deum fiduciæ clarissima professio? Versiculũ quartum in hanc sententiam exponendum esse inde liquet, quòd vers. 2.3.5.7. supra memoratæ Assumptionis illustrationem Psalmista comprehenderit.

Sed quæ est illa Assumptionis illustratio? Triplicem videmus esse. Prima est à diuersis, sic nempè instituta:

Hostium meorum incredibilis est multitudo, tibiq;, ô Iehoua, ad mihi succurrendum sermonibus suis impotentiã quandam affingunt, vers. 2.3.

At ego tamen spem omnem in te liberationis meæ fiduciámque colloco.

Huius à diuersis argumenti pars prima duo membra complectitur: quorum alterum vers. 2. alterum vers. 3. proponitur. Quod vers. 2. de hostium multitudine dicitur, id admiratione raptus, & quasi obstupescens enunciat. Quòd enim ad propugnationem causæ tam odiosæ & nefariæ, susceptæ à filio contra patrem, & à subdito aduersus Principem, tanta Israelitarum multitudo ita repente ac quasi momento temporis se profuderit & coiuerit: id Dauidi omni fide maius & portenti simile videbatur.

Alterum illud deducti à diuersis argumenti membrum authore Caluino & Beza sic interpretor, vt quos sermones hostibus suis attribuit Propheta, eos à magnifica opinione quam de suis viribus conceperũt profectos esse existimem. Etenim credibile est eò vecordiæ perduelles istos deuenisse, vt conflatas Israelitarum copias diuinæ potentiæ anteferrẽt, persuasi scilicet infirmiorem esse Iehouam, quàm vt Dauidem contra exercitum tam egregiè instructum tueri possit.

Secunda Assumptionis illustratio est ab efficiente causa tantæ ac tam eximiæ in Propheta fiduciæ. Ea autem fuit antegressis temporibus diuinæ in se gratiæ & opis collatæ obseruatio. E cuius recordatione in hunc modũ concludit:

Tu mihi antehac ô Iehoua, cum ad te confugerem, gratiam opémque præstitisti, vers. 5. Hoc versu dicitur prophetæ supplicanti

plicanti Iehouam è monte sanctitatis suæ respondisse ac subuenisse. Sanctus hic mons erat mons Sionis, in quo arca fœderis, maiestatis scilicet diuinæ repræsentatio, collocata substitit. Ad sacra istius arcæ domicilium, qui nomen Domini inuocare volebant, debebant ex instituto legis dum id adorationis munus obirent, oculos conuertere.

Ad te igitur iam confugio certa spe adductus auxilij tui, v.4.

Antecedenti istius enthymematis amplificationem subiecit propheta ab effectis suis:

Si mihi confugienti ad te opem antehac non præstitisses, referre me ad rempub. gerendam animo securo & à molestiis vacuo minimè potuissem.

Atqui animo securo & vacuo à molestijs me ad publici muneris procurationem retuli. vers. 6.

Itaque confugienti mihi ad te antehac opémque imploranti succurristi. vers. 5.

Assumptio syllogismi, si sententiam ipsius spectemus, est actionibus illis cubandi, dormiendi, & surgendi comprehēsa & expressa. Ex ijs enim intelligi vult quàm soluto animo & libero ab omni metu rebus gerendis incubuerit. Qui in metu & angoribus versantur, ij sibi quietis & somni suauitatem interrumpi & eripi sentiunt, adeò vt qui dormitionis quotidianæ miniméque interruptæ beneficio perfruuntur, id immunitatis cuiusdam in animo à grauiori periculorum imminentium metu argumento esse possit.

Sed Assumptionis exornationem, quam subiecit Propheta, videamus. Ea est ab efficiente tam securi & confidentis in ipso animi.

Sensi (inquit) sustentari me quotidie ac fulciri Iehouæ singulari gratia & virtute. vers. 6. in fin.

Itaque animo securo & à molestijs vacuo me ad publici muneris procurationem retuli. vers. 6. in princ.

Sequitur Assumptionis primo principali syllogismo cōprehensæ illustratio tertia, nempe à comparatis, sic:

Si hostium infinitæ myriades in acie aduersum me consisterent, non timerem, sed in te ô Domine spem omnem confidenter reponerem. vers. 7.

Itaque

Itaque dum se mihi aduersariorum minor numerus opponit multò maiori fiduciæ & animo confirmatiori in Iehouam recumbam vers. 4.

Hactenus de argumento primo eiusque illustratione triplici.

Secundum argumentum, quo Iehouæ persuadere vult Propheta ad hostium suorum dissipanda consilia impetusq; frangendos, est à parium comparatione, sed adiuncto insuper experientiæ testimonio.

Arg. 2. *Antehac ô Domine, hostium meorum consilia & conatus ad nihilum redegisti, tuumq; nomen in me liberando illustrasti*, vers. 8. in parte posteriori.

Quocirca nunc itidem libera me ab hoc imminenti periculo coniurationis aduersus me susceptæ. Vers. 8.

Sed hîc se Propheta continere non potest. Videt enim versari se in summo & scepteri & vitæ discrimine. Ac proinde aliud petitionis suæ argumentum affert, ductum scilicet à contemplatione muneris & officij, quo creatorem regémque cœli & terræ fungi oportet. Id autem eiusmodi est:

Arg. 3. *Est muneris & officij tui ô Iehoua, eos qui in periculis constituti ad te salutis obtinendæ causa confugiunt, liberare*. Vers. 9. in principio, vbi sic loquitur Psalmista: *Iehouæ est salus*: id est, ad officium Iehouæ spectat, vt afflictis & oppressis salutem & liberationẽ largiatur.

Surge igitur, & ab imminenti periculo coniurationis libera me. Vers. 8.

Postquam Propheta Dominum de obeundo munere iustitiæ & liberationis in principio noni versiculi admonuerit, institutam supplicationem concludit adhibita commemoratione fructus qui è præstita liberatione ad populum peruenturus est.

Arg. 4. *Si* (inquit) *expetitæ liberationis fructus ad populũ tuum peruenturus est: noli mihi, ô æternæ Deus, hanc liberationis gratiam recusare.*

At expetitæ à me liberationis fructus ad populum tuum peruenturus est. Vers. 9. in fine: vbi in hunc modum verba facit Psalmista: *Super populum tuũ erit benedictio tua:*

id

id est, quam mihi è singulari gratia liberationem præstabis, ea, vtcunque personæ meę propria videatur benedictio, tamen vsu & fructu suo ad populum tuum diffundetur.

Surge itaque ô Domine, mihiq́; grauissimis periculis & hostium crudelitati exposito succurre. Ver. 8.

Adhuc fuit Prophetæ supplicatio, vehemens illa quidem & quatuor argumentis ad Iehouam permouẽdam subnixa. Quod ad vocem illam *Selah* attinet, quæ versiculis quibusdam subijcitur, video de ea discrepantes esse interpretum sententiam. Sed non incommodè exponunt, qui eam Psalmorum versiculis nonnullis eo consilio additam existimant, vt admoniti occurrisse rem valdè insignem, & quæ à nobis attentiùs expendatur dignißimam, ad vocis & cordis eleuationem continuò excitemur.

PSAL. IIII.

1 *MAgistro Symphoniæ Psalmus Dauidis canendus in Neguinoth.*

2 *O Deus iustitiæ meæ, cum te inuocem exaudi me. Cum essem in angusto, dilatasti mihi locũ. Gratiosus esto mihi & audi orationem meam.*

3 *Filij virorum, quousque gloria mea ignominiæ futura est? quousque dilecturi estis vanitatem & procuraturi mendacium? Selah.*

4 *Cognoscite iam selegisse Iehouam sibi eum quem benignè accipit. Iehoua exaudiet cum ipsum inuocauero.*

5 *Commouemini & ne peccetis: examinate cor vestrum super cubile vestrum, & silete. Selah.*

6 *Sacrificate sacrificia iustitiæ, & fiduciam habete*

bete in Iehoua.

7 *Multi dicunt: Quis efficiet vt fruamur bo-
no? attolle super nos lumen faciei tuæ Iehoua.*

8 *Indidisti lætitiam animo meo maiorem, quàm
ij habent quo tempore frumentum ipsorum & vinū
ipsorum multiplicantur.*

9 *Cubabo & simul dormiam in pace. Nam tu
Iehoua solus efficis vt securè habitem.*

ANALYSIS PSAL. 4.

Psalmi inscriptione notantur tria:

1. *Psalmi author, viz. Dauid.*
2. *Psalmi cantor, Symphoniæ nempe magister, is qui inter cæteros eius generis cantores primas tenet:* Huic *Psalmus ad decantandum traditus est.*
3. *Toni seu modulationis species, qua Symphoniæ magister in Psalmi traditi cantione vti debeat. Ea Neguinoth appellatur. Varia est huius vocabuli Neguinoth interpretatio. Alij eo significari putant id musici instrumentum genus, cuius harmonia digitis symphoniaci artificiosè & scienter pulsantibus efficitur. Alij speciem toni eo notari existimāt ad quam sacri cantores Psalmos decantandos modulari volebant. In hac opinione versantur, qui Biblia non multis abhinc annis Gallicè reddiderunt.*

Psalmi inscriptio sic est. In Psalmo ipso spectare oportet Psalmi componendi occasionem: deinde compositi subiectum. Componendi Psalmi occasionem hinc natam esse probabile est. Cum ij qui Saulem assectabantur magnates, quique apud eum authoritate & gratia valebant, Dauidi omnem aditum intercludere cuperent, quo minus Regij sceptri maiestate potiretur, partim ementitis criminationibus & odiosis calumnijs in ipsius nomen irruebant: partim clandestinis insidijs aut aperta vi Prophetæ sanctissimi caput petebant. Hoc ille à se vt periculum depelleret, hostiumq; conatus eluderet, ad Iehouam vindicem scelerum & innocentiæ

centiæ propugnatorem se recepit, Psalmum quem in manibus habemus suauissimè fundens & concinens.

Psalmi compositi partes duæ sunt:

Prima est periculi, quod sibi ab hostibus intentatum videt, deprecatio, vers.2.

Secunda est adhortatio, qua aduersarijs persuadere vult, vt sepositis impijs consilijs, se ad meliora persequenda accommodent. A princip.3 .ver. ad Psalmi finem.

Periculi deprecatio, vers. 2. generatim comprehensa & ter iterata proponitur. *Exaudi* (inquit) *me ô Deus: gratiosus esto mihi: audi orationem meam.* Sub hac verò generali orationis forma Synecdochicωs intelligi vult Propheta illam specialem periculi deprecationem; quam ab illo, ex allatis argumentis, quibus periculum deprecatur, in hanc sententiam conceptam esse liquet:

Peto abs te, ô Iehoua, vt aduersariorum meorum consilia & conatus dissipes.

Vt hanc à Deo gratiam impetret, triplici argumento contendit. Primum eiusmodi est, desumptum scilicet à contemplatione excellentissimæ cuiusdam actionis & muneris, quo Iehoua cœli terræque iudex fungi debet:

Arg.1. *Tu is es, ô Iehoua, qui te innocentiæ meæ vindicē esse profiteris.* Ver.2. hisce verbis: *O Deus iustitiæ meæ*, id est, O Deus qui meæ & innocentiæ & causæ iustæ pro tuo suscepto exercendæ iustitiæ officio ac munere propugnator es.

Quapropter exaudi me, & inimicorum meorum consilia & conatus dissipato. Ver. 2. in princip. & fine.

Secundum argumentum deprecationis est ab effecto Prophetæ, conclusum hoc enthymemate:

Arg.2. *Opem tuam ô Domine imploro aduersus hostium meorū, consilia & machinationes.* Ver.2. priori parte.

Exaudi igitur me, & eorum conatus ad nihilum redigito. Ver 2. in principio & fine.

Huius argumenti consequentia pendet ex illa gratuita & consolationis suauissimæ plena promissione, quam à Domino ijs factam videmus, qui ad ipsum angustiæ suæ & af-

flictionis

flictionis die confugientes eum ex vera fide inuocant.

Deprecationis à Propheta institutę argumentum postremum est à comparatione parium: qua acceptæ antehac à Domino liberationis memoriam complexus, cum scilicet de salute periclitaretur, in hunc modum concludit:

Arg.3. *Tu mihi periclitanti antehac & in summis angustijs constituto liberationem & salutē largitus es.* vers.2. in medio *Quapropter & nunc similiter exaudi me ô Deus, mèque ab hostium meorum impijs conatibus vindicato.*

Hactenus de periculi deprecatione, qua Propheta vsus est.

Sequitur adhortatio, qua Saulem Regem & aulæ regiæ magnates satrapasque compellat. Hos *filios virorum* nominat: id est, viros summa authoritate & imperio præditos, qui scilicet eam de potentia & opibus suis opinionem conceperant, vt vna quasi supplosione pedis cœlum & terram commouere se potuisse crederent; & cæterorum omnium impetus vel leuissimo oris sui spiritu refellere.

Adhortatio Prophetæ bipartita est. Nam

1. *Suadet aduersarijs, vt à confictis criminationibus & calumnijs, quibus labem nomini ipsius & perpetuum dedecus inurere voluerunt, refugiant deinceps & abstineant*, v.5.
2. *Hortatur vt Iehouæ sincero & integro corde seruiant*, ver.6.

Adhortationis pars prior, vers.5. hisce verbis comprehenditur: *Commouemini & ne peccetis: examinate cor vestrum super cubile vestrum, & silete.* Quasi diceret Propheta: Contremiscite reuocata in memoriā, & ante oculos proposita pœna, quam ij meritissimò luere debent, qui Vnctum Domini importunis calumnijs & contumelijs afficiunt; nolite cōmittere, vt isto vos scelere deinceps alligetis: ac postquā ex antegressa cordium vestrorum examinatione seria compertum habueritis reos esse vos tanti & tam atrocis criminis, silete, id est, ab hac perdita & profligata calumniandi consuetudine linguas vestras continete. Hoc sibi proponere Dauidem, vt nempe aduersarios suos ab odiosa ista contumeliæ in alios conferendæ ratione dehortetur, primùm constat è versiculo tertio, vbi & eos grauissimis verbis reprehendit;

prehendit ob insanum illud in ipsis studium violandi decus existimationis suæ, quod tanti facit vt nomine *gloriæ suæ* appellet, & simul exponit quibus rationibus vsi nomini suo odiosissimæ ignominiæ maculam aspergere conarentur. Rationes autem quibus id efficere studebant, contineri docet, *amore falsitatis, & comminiscendi mendacij libidine.* Deinde id Dauidi propositũ fuisse, e postrema quinti versiculi particula euinci potest: vbi aduersarijs suis consulit vt sileant. Silere verò quid aliud est, quàm à loquendo linguam continere? Taciturnitati autem isti, quam ab illis adhiberi suadet, quàm optimè conuenit cum verbis versus tertij, quibus mentiendi & calumniandi peccatum notatur & coarguitur. Quod si igitur versu 3. eos mentiendi & calumniandi nomine perstringat: credibile est quæ ab illo instituitur persuasio versu 5. vt sileant, ea de lingua coercenda & calumniandi procacitate refrænanda admonitionẽ contineri. Siquis silentij persuasione dissuasionem comprehendi arbitretur ab ineundis aduersus Prophetę vitam consilijs & machinationibus: siquis item quod vers. 2. dicitur de Prophetæ gloria ignominiæ exponenda, in eo reprehendi putet aduersariorum studia & conatus, ad præripiendam ipsi & intercipiendam sceptri à Iehoua demandati maiestatem: siquis, inquã, ista in hunc sensum exponenda esse iudicet, non repugno: dummodo quam ego illi interpretationis libertatem concedendam esse censeo, eadem mihi vt concedatur non iniquum esse statuat. Sed redeundum iam est ad propositum. Adhortationis igitur à Propheta susceptæ pars prior huiusmodi est:

Desistite à criminationibus & calumnijs, quibus labem & dedecus nomini meo inurere conamini, vers. 5. in princip.

Vt hac tam æqua postulatione apud aduersarios suos valere possit, in hanc sententiam cum illis disserit:

Arg. 1. *Vos multum temporis in oppugnanda existimatione & gloria nominis mei posuistis,* ver. 3.

Æquum igitur est, vt iam tandem calumnijs in nomen meũ congerendis supersedeatis, ver. 5. in princip. & fine.

Enthymematis antecedens est vers. 3. comprehensum sub

interrogationis formula, *Quousque?* quasi diceret, Iamdiu me populo odiosum iniquissimis criminationibus reddere conati estis. Antecedentis amplificatio est à notatione causarum instrumentalium, quibus Saul & aulæ Regiæ magnates ad infamiam Dauidi conflandam vtebantur. Conclusio istiusmodi est:

Vos excogitandis aduersus me mendacijs iamdiu incubuistis. Vers.3. in parte postrema.

Ac proinde in labefactanda nominis mei existimatione & gloria iamdiu elaborastis. Vers.3. in parte priore.

Progreditur in hortationis institutæ cursu Propheta. Non vult latere aduersarios suos, se esse eum quem Iehoua ad regni Israelitici procurationem è tot hominum millibus selegerit, & cuius supplicationem pro singulari misericordia exauditurus est. Hoc duplici argumento ad persuadendum instructus, eos tali Syllogismo alloquitur:

Arg.2.& 3. *Cui ex decreto Iehouæ & electione, summa reipub. Israeliticæ administrandæ potestas demandata est, & cui supplicanti Iehoua subuenire vult pro infinito erga suos amore, eum vos efficere probris & dedecore non oportet.*

At is ego sum cui ex decreto Iehouæ & electione, summa reipub. Israeliticæ administrandæ potestas demandata est, & cui supplicanti Iehoua subuenire vult pro infinito erga suos amore. Vers.4.

Is ergo sum, quem à vobis affici probris & dedecore non oportet. Vers.5.

Assumptio de Dauide loquitur, cum tamen vers.4. minimè nominetur. Fateor quem Dominus electione facta populo Israelitico præfecit, eo versu dilectum appellari, seu eum quem Dominus benignè accipit. Sed è generis tropo species intelligenda est: è nomine scilicet *Dilecti* Propheta Dauid, in quem varia testimonia contulisse Iehouam amoris sui constabat.

Ac ne *virorum illi filij*, id est, aulæ Regiæ magnates sibi incognitum esse dicant, qua ratione id assequi possint, ad quod ipsos hortatur Propheta, viam, immò quibus vestigijs insistendum sit commonstrat. Viæ commonstratio posita est

est in explicatione mediorum, quibus instituî eorum mentes & erudiri queant ad fungendum officio iustitiæ & probitatis. Media illa duorum generum sunt:

1. *Metus scilicet & apprehensio pœnæ, quæ calumniarum & infamiæ authoribus meritò debetur.* Vers. 5. in principio. Vbi præcipit vt contremiscant, reuocata scilicet in memoriam, & attentiùs considerata pœna, quam incurrit & iure sustinere debet calumniator.

2. *Examinatio conscientiæ seriò illa quidem & priuatim instituta, ad disquirendum & explorandum, sintne rei criminis istius & peccati, cuius arguuntur.* Vers. 5. in parte media. *Examinate* (inquit) *cor vestrum, &c.*

Hactenus de priore parte adhortationis: sequitur iam posterior, à principio vers. 6. ad Psalmi finem. Huius posterioris cohortationis subiectum est tale:

Debere scilicet Saulem & aulæ Regiæ magnificos proceres Iehouæ sincero & integro corde seruire. Ver. 6.

Officium istud Iehouæ ex integra & sincera cordis affectione seruiendi, duabus diuini cultus partibus vers. 6. expressum comperiemus: quarum altera oblatione sacrificij illibati & puri, altera fiduciæ in Dominum collocatione continetur. Sacrificium illud à Dauide sacrificium iustitiæ dicitur. Id autem tale censetur, quod diuinæ legis præscripto congruenter offertur, siue offerendi sacrificij materiam formamq́ue, siue offerentis animum spectemus. Ad hasce diuinæ adorationis partes obeundas, id est, ad cultũ Domino spiritu & veritate, nulla adhibita simulatione, præstandum, aduersarios suos Propheta cohortatur. Videamus itaque quo argumento susceptam cohortationem vrgeat & persequatur. Proponit certe hisce virorũ filijs, aulæ nimirum Regiæ proceribus suum ipsius exemplum, parium comparatione tractatum in hanc formam:

Ego Vnctus Domini Domino cœli & terræ ex integro & sincero cordis affectu seruio.

Quapropter & vos Iehouæ consimilem cultum præstate. v. 6.

Enthymematis pars antecedens expressa non est: sed antecedentis loco antecedentis demonstrationem subiecit

Propheta, desumptam scilicet ab effectis, & sic conclusam:

Ego à Iehoua totus pendeo, summumq; bonum in illius erga me amore & gratia pono. v 7. in posteriore parte versus.

Ego igitur Iehouæ ex integro & syncero cordis affectu seruio.

Reticetur (vt obseruatum est) hæc conclusio, sic tamen vt pro conclusione illustratio conclusionis substituta sit.

Sed vbi est (inquies) Dauidis professio ista collocandi in Iehouæ erga ipsum amore & gratia fiduciam suam summumque bonum? Aio contineri eam vers. 7. sub conceptæ precationis formula. *Attolle* (inquit) *super nos lucem faciei tuæ Iehoua.* Visum Prophetæ est hoc orationis schemate professionem tam excellentem complecti, quasi ad testandum aptissimo tanti à se fieri Iehouæ amorem & gratiam, vt nihil cum ea conferendum esse arbitretur. Prophetæ petitionem istam sic exponendam esse, tanquam apertis & totidem verbis professionem illam, de qua loquor, complecteretur, patet ex antithesi professionis institutę ab alijs, quos in principio vers. 7. eo nomine Dauid perstringit, quòd in huius vitæ bonis summum bonum constituant: adeò vt credibile sit Prophetam hoc versu, quid inter se & alios in summi boni opinione ac definitione intersit, è dissimilitudinis comparatione ostendere voluisse. Id si ita fuerit, versus ille sic explicandus est, vt comparationis analogia contineatur. Cum & varia verba & variæ formæ sint, quibus ad complicatas animi notiones euoluendas exprimendasq; vti liceat, nouum videri non debet siquando, qui elegantiæ in eloquendo & varietatis author est, Spiritus sanctus libertate, quam alijs concedit, vtatur ipse.

Sed ecce, vt constet profiteri vers. 7. Dauidem de collocatione summi boni in Iehouæ amore & gratia, professionis istius triplicem illustrationem subiecit.

Prima est à comparatione dissimilium.

Multi (inquit) *summum bonum in huius vitæ bonis collocant.* Vers. 7. in principio.

At ego in luce faciei tuæ Iehoua, quam super me attollis, omnem fœlicitatem pono. Vers. 7. in fine.

Secunda est ab effecto diuinæ erga se gratiæ & amoris, in istud enthymema conclusio;

E contemplatione diuinæ erga me gratiæ, cor meum admirabili quadam lætitia cumulari sentio. Vers.8.

Id igitur in quo summum bonum constituo haud aliud est quàm Iehouæ erga me amor & gratia. Vers. 7.

Enthymematis antecedens habet exornationem hanc è minoribus:

Permagna est lætitia, qua alij è copiosa & abundanti messe & vindemia afficiuntur. Vers.8. in fine.

At quam ego percipio lætitiam è sensu amoris erga me tui & gratiæ longè maior est. Vers.8. in principio.

Tertia illustratio est etiam ab altero diuinæ erga se gratiæ effecto. Vnde in hanc sententiam concludit:

Quo securus reddor aduersus omnem metum & pericula, in eo omnem meam fœlicitatem colloco.

At Iehouæ erga me amore & gratia securus reddor aduersus omnem metum & pericula. Vers. 9. in principio. Vbi sub actionibus illis *cubandi in pace, & dormiendi*, notat Propheta singularem animi sui aduersus quæuis pericula & terrores securitatem, ortam scilicet & susceptam è suauissimo sensu diuini erga se amoris & gratiæ.

Iehouæ igitur erga me gratia id certè est, in quo omnē meam fœlicitatem colloco. Vers.7.

Assumptio, ne plus ostentationis quàm veritatis complecti videatur, hoc argumento illustrata est:

Quod solum tuetur me, & vindicat ab omni metu & periculo, id me securum reddit aduersus omnem metum & periculum.

At sola Iehouæ erga me gratia tuetur me & vindicat ab omni metu & periculo. Vers. 9. in parte posteriori. Vbi illâ loquendi formulâ (*tu facis vt securè habitem*) apertè significatur defendi ipsum à Domino, & protegi contra omnes impiorum machinationes & impetus.

Itaque sola Iehouæ erga me gratia securum me reddit aduersus omnem metum & periculum. Vers.9. in principio.

PSAL. V.

1 *Magistro Symphoniæ ad pneumatica instrumenta Psalmus Dauidis.*

2 *Dicta mea auribus percipe Iehoua: considera meditationem meam.*

3 *Attende voci clamoris mei, Rex mi & Deus mi: nam apud te orationem habeo.*

4 *Iehoua, mane exaudito vocem meam. Nam mane me dispono coram te & attendo.*

5 *Certè tu es Deus fortis nolens iniquitatem. Non habitabit tecum impius.*

6 *Non consistent insani coram oculis tuis. Odisti omnes qui operam dant iniquitati.*

7 *Perditurus es loquentes mendacium. Virum sanguinarium & dolosum abhominabitur Iehoua.*

8 *Ego autem in amplitudine benignitatis tuæ ingrediar domum tuam: incuruabo me versus templum sanctitatis tuæ cum reuerentia tui.*

9 *Iehoua deduc me in iustitia tua & propter obseruatores meos. Complana coram me viam tuam.*

10 *Nam non est in ore ipsorum rectum. Intimũ eorum haud aliud est quàm prauitates: sepulchrum apertum guttur eorum: lingua sua dolosè blandiuntur.*

11 *Subuerte eos ô Deus: decidant de consilijs suis: conijce eos intra multitudinem transgressionũ suarum. Rebellauerunt enim contra te.*

12 *Et lætabuntur omnes confidentes in te: in seculum*

culum canent quos protegis: & exultabunt in te amantes nominis tui.

13 *Quia tu benedicis iusto Iehoua: & gratia tanquam scuto circumtegis eum.*

ANALYSIS PSAL. 5.

Inscriptio Psalmi

1. *Loquitur de authore Psalmi.*

2. *Docet traditum fuisse magistro Symphoniæ ad pneumatica instrumenta*, id est, illi qui primas tenet inter eos, quorum est in ijs instrumentis tractandis versari, quæ oris spiritu inflata sonum edunt: cuiusmodi fuerunt Sacerdotum tubæ & Leuitarum buccinæ. Nam Hebræis *Nechiloth* dicuntur ea instrumentorum musicorum genera, quæ tubulata & excauata sonum vi immissi spiritus edunt. Nonnulli voce *Nechiloth* toni seu Symphoniæ apud veteres Hebræos receptę speciem quandam designari putant.

De Psalmo ipso si percontetur quis, fueritne à Dauide contextus cum Saul, an Abschalomus ipsi insidias & capitis periculum crearet, quid respondendum sit video inter Psalmorum interpretes parum conuenire. Illud pro comperto habemus, Prophetam grauissimi periculi, cui se inimicorum perfidia & scelere obiectum animaduertit, contemplatione adductum ad opem Domini & liberationem implorandam confugisse.

Psalmi huius duo membra esse video.

In priori de audientia conciliandá agitur. Vers. 2. 3. 4. Etenim frustra supplicatur, cum is, cuius gratiā imploramus, est animo auerso minimeq; ad audiendum propenso.

In posteriori supplicationem proponit Dauid, eamq; ardenter & sollicitè persequitur, à principio vers. 5. vsque ad extremam Psalmi clausulam.

Audięntiæ quæstio hisce verbis explicari & summatim comprehendi potest:

O Iehoua, quam tibi supplicationem oblaturus sum, eam opor-

tunè & rerum mearum necessitati conuenienter exaudi. Vers.2.3.4.

De audientia primò generatim agitur vers. 2.& 3.deinde singillatim & verbis expressis vers. 4. in principio. Quid in genere petatur, è postulatione vers. 4 comprehensa nobis constare potest. Hoc enim versiculo non indefinitè sed instantis necessitatis habita ratione audientiam postulat. Vult siquidem *manè* exaudiri orationem suam, id est, oportunè & absque procrastinatione,prout nempe rei præsentis conditio fert.Quòd verò eiusdem postulati iteratione frequenti vtatur Propheta (etenim quater proponitur) inde iudicium facio de magnitudine periculi, in quo versatus est: de flagranti desiderio quo tenebatur consequendæ liberationis: denique de ipsius perseuerantia in diuini nominis inuocatione. Porrò obseruare non alienum fuerit appellari ab ipso petitionem suam nomine *verborum, meditationis, vocis, & vocis clamoris.* Nomine *verborum*: eò quòd verba sint oblatæ petitionis interpretes. *Meditationis:* propterea quòd ad eam Domino exhibendam non sine seria cordis meditatione accesserit. *Vocis, & vocis clamoris*: quia in fundenda oratione vocis contentionem quandam adhibuit, eam scilicet quæ imminentis miseriæ grauitatem & cordis vehementius afflicti pathos exprimeret.

Verùm attendamus quibus rationibus vlus audientiam efflagitet. Prior est eiusmodi:

Arg.1. *Si tu, ô Iehoua, Rex meus sis, & ego subditus tuus: tu Deus meus, & ego è populo tuo electo vnus: quam tibi petitionem oblaturus sum, eam oportunè sine procrastinatione & meæ instantis necessitatis habita ratione exaudi.*

At tu, ô Iehoua, Rex meus es, & ego subditus tuus: tu Deus meus & ego è populo tuo electo vnus. v.3.in priori parte.

Quam itaque tibi petitionem oblaturus sum, eam oportunè absque procrastinatione & meæ instantis necessitatis habita ratione exaudi. Vers.2.3.4.

Porrò conciliandæ audientiæ studio prouectus Dauid Iehouam sic affatur:

Arg.2. *Qui te, ô Iehoua, inuocat die afflictionis suæ, eum te exau-*

exaudire oportet oportunè, absque procrastinatione, & habita ratione afflictæ conditionis qua premitur. Hæc est illa Domini gratuita & excellentissimæ consolationis promissio.

At ego te Iehoua inuoco die afflictionis meæ. Vers. 3. in parte poster. Hæc est conditionis, qua nititur Dei promissio, ex parte Prophetæ præstatio.

Itaque me oportet exaudiri à te oportunè, & habita ratione ad grauissimam afflictionem qua premor. Vers. 2. 3. 4.

Postrema ad conciliandam audientiam ratio est secundæ admodum affinis: sed adiunctam professionem habet Iehouæ gratiam sollicitè & patienter attendendi. Conclusio hæc est:

Arg. 3. *Ego adducta in summum discrimen salute mea, sollicitè & absque mora ad te confugiens, gratiam opemque tuam omni studio & vigilantia patienter attendo.* Vers. 4. in posteriore parte.

Quamobrem ô Iehoua petitionem, quam tibi oblaturus sum, absque procrastinatione exaudi, habita ratione afflictissimæ conditionis in qua versor. Vers. 2. 3. 4.

Audientiæ conciliandi quæstio hactenus explicata est. Superest ipsa petitio, cuius exauditionem vrgeri tantopere à Propheta videmus. Petitio hisce verbis summatim comprehendi potest:

Libera me, ô Iehoua, ab hostibus meis, eosque subuerte.

Propositæ petitionis duæ sunt partes: quarum altera est de liberatione & salute Prophetæ, altera de hostibus Prophetæ delendis. Pars illa, quæ est de Prophetæ liberatione, comprehenditur vers. 9. vbi Iehouam in hæc verba compellat: *Deduc me in iustitia tua, & complana coram me viam tuam:* id est; Peto abs te ô Iehoua, vt pro eo quo fungeris munere in distribuenda iustitia, me è periculo, in quod hostium meorum scelere coniectus sum, educas & eripias: peto vt omnes rationes & quasi vias liberationis meæ sic expedias & complanes, vt aditu patefacto & sepositis obstaculis, tutò elabi possim è vitæ discrimine. Hanc liberationis suæ viam Iehouæ viam appellat: vt inde constet, non

alium

alium se salutis & liberationis authorem agnoscere quàm Iehouam.

Pars altera supplicationis institutæ à Dauide de hostium suorum subuersione vers. 11. continetur: vbi à Domino disertè precatur, *vt eos subuertat & perdat: vt eorum consilia & machinationes ad nihilum redigat: vt eos intra multitudinẽ transgressionum suarum detrudat & compingat.* Sic enim hanc postremam clausulam vnà cum Gallicæ versionis authoribus reddo & interpretor. *Conyci intra multitudinem transgressionum,* idẽ est, ac derelinqui à Domino & in reprobum sensum tradi, ad scelus ex scelere nullo habito discrimine cumulandum. Vt versiculi vndecimi priori membro hostium euersionem & interitum vrget: sic duobus succedentibus rationem viamque exponit, qua hostes sui euerti & deleri queant. Id autem fit, siquando & euentus consiliorum actionumque susceptarum interceptus fuerit, & ipsi deliberationum principes rerumque actores omni mentis sanitate iustissimo Domini iudicio destituti, se ad omne scelus & impietatem proiecerint.

Intelligimus iam & quibus versiculis & qua orationis forma supplicationem suam comprehenderit Propheta. Restat vt quibus eam argumentis prosequatur videamus. Primum sic conclusum reperiemus:

Arg. 1. *Tu (Iehoua) pro eo, quo fungeris, munere iustissimi iudicis, impios perditurus es.* Vers. 5. in fine, & vers. 6. in principio: vbi ex more Scripturæ nomen insanorum impijs attribuitur: vtpote qui tanquam cæcitate & rabie quadam mentis agitati ad omnem impietatem ferantur.

Libera itaque me ab hostibus meis, eosq; perde. Ver. 9. & 11.

De illustranda enthymematis consequentia Prophetæ minimè laborandum fuit: cum & ipsi & alijs Dei verè colendi studiosis compertum esset, ijs, qui odio Dauidis incensi, eum aut vi expugnatum aut insidijs interceptum è medio tollere statuerint, nihil præter impietatem & flagitiosissimæ vitæ libidines sapere. Constare hoc quidẽ potest è descriptione illa facta hostium suorum vers. 10.

Quod

Quod ad enthymematis antecedentẽ attinet: est illa quidem dupliciter confirmata, à caussa nempe, & inductione specialium. Confirmatio è caussa praecedit, sic:

Odisti pro naturæ tuæ infinita sanctitate omnes qui operam iniquitati dant. Vers. 5. in principio, & vers. 6. in fine.

Ac proinde eos perditurus es. Vers. 5. in fin. & v. 6. in princ.

Inductio specialium sequitur:

Perditurus es mendacem, virum sanguinarium, & dolosum, cæterósque eiusdem farinæ nefarios & impuros homunculos. Sic enim inductio adhibita per Synecdochen intelligenda & supplenda est. Quod autem v. 7. non de perdendo sed detestando virum sanguinarium & dolosum loquatur Propheta, idem est, si è caussæ Metonymia loquentem Dauidem interpretêre, ac si perditum iri à Iehoua virum sanguini & alijs circumueniendis auidiùs inhiantem affirmasset.

Itaque impios, ô Iehoua, perditurus es. Vers. 5. in fine, & vers. 6. in principio.

Vt Iehouæ persuadeat diuinus hic vates de illa, quã tanto studio implorat, gratia concedenda: commemoratione facta cuiusdam effecti; id est, professione vlus testificandæ in posterũ suæ erga Iehouam gratissimæ voluntatis, in hunc modum disserit:

Arg. 2. *Hostibus meis perditis, & ab ijs tua ope, ô Iehoua, liberatus, acceptæ à te liberationis gratiam ad nominis tui gloriam celebrabo.* Vers. 8. Ego (inquit) in amplitudine benignitatis tuæ, &c. id est, vt tuam in me liberando & hostium meorum dissipatione singularem gratiam agnoscam & prædicem, in sanctuarium nomini tuo colendo & ornando consecratum ingrediar, tibique de me tam præclarè merito omnem honorem ac gloriam deferam, idque eo animi affectu & reuerentia quam in obeundo cultu tuo à nobis ex Lege afferri & præstari vis. Atque hæc est illa reuerentia, quæ reuerentia seu timor Iehouæ à Dauide dicitur.

Quocirca libera me, ô Iehoua, ab hostibus meis, eosq́; perde. Vers. 9. & 11.

Progredi-

Progreditur adhuc Propheta, & vt supplicationi suæ satisfiat, alio argumento contendit:

Arg.3. *Profiteris ô Iehoua, iustissimè acturum esse te & cum pijs & cum impijs.* Vers. 9. hisce verbis: *Deduc me in iustitia tua*, id est, me è periculo mihi ab hostibus intentato deduc pro ea, quam suscepisti, professione & munere tuendi pios, & impios puniendi.

Libera igitur me ab hostibus meis eosq; perde. Vers.9. & 11.

Eodem v.9. subijcitur & alia ad petitionis institutæ suasionem ratio: qua notato & Iehouæ, quasi in memoriam reuocato euentu, qui neglectam Prophetæ liberationem & hominum facinorosorum impunitatem cōsecuturus est, in hanc sententiam verba facit:

Arg.4. *Neglecta abs te (ô Iehoua) liberatione mea, & hostibus meis nullo supplicio affectis, impij obseruata hac, qua vteris, administrationis ratione ad triumphandum & nomini tuo blasphemandum se comparabunt.* Vers. 9. Vbi sic loquitur Propheta: *Et propter obseruatores meos deduc me*: id est, è periculo, in quo versor, deduc me, ne homines profligati ac perditi, quibus magnæ curæ est in omnes administrationis tuæ rationes & euenta inquirere, si quid forte pro ipsorum sententia & expectatione successerit, inde ansam confestim arripiant agendi triumphi, & ea proloquendi, quibus nominis tui gloria imminui & obscurari possit.

Quapropter libera me ab hostibus meis eosq; perde. v.9 & 11.

Eo studio tenetur Propheta consequendæ gratiæ & à Domino impetrandæ liberationis, vt facere non possit, quin nouarum rationum momenta ad persuadendum afferat.

Arg.5. *Omnia* (inquit) *hostium meorum consilia & conatus ad meam perniciem & præsentem interitum spectant.* v.10.

Aggredere igitur ô Domine liberationem meam, & hostium meorum euersionem. Vers.9. & 11.

Enthymematis antecedentem hostium suorum illustri descriptione vers. 10. complexus est Propheta. Descriptio est ab effectis: vnde patere clarissimè potest quàm illi se flagitiosè erga sanctum Prophetam & immaniter gerant.

Effecta

Effecta quadruplicia notantur à Dauide:

1. *Non est* (inquit) *in ore ipsorum rectum*: id est, mendacijs & calumnijs me persequuntur.

2. *Intimum eorum haud aliud est quàm prauitates*: id est, cor ipsorum haud aliud quidpiam machinatur & texit, quàm ad me perdendum fraudes & maleficia.

3. *Sepulchrum apertum est guttur eorum*: id est. Quemadmodum sepulchrum quasi hianti ore ad cadauer excipiendum & conterendum attendit: sic hostes mei tanquam in procinctu stant personæ meæ imminentes & inhiantes, ad eam astu aut vi oppugnandam ac delendam.

4. *Lingua sua dolosè blandiuntur*: id est, alios blanditijs suis allicere conantur ad perniciem mihi conflandam.

Postquam vers. 10 hostium suorum impietatem & malitiam luculenta descriptione proposuerit, posterius supplicationis suæ membrum vers. 11. subijcit, amplificatum argumento tali:

Arg. 6. *Inimici mei, dum mihi Vncto tuo se opponunt, bellum tibi ô Iehoua indixerunt*. Vers. 11. in fine.

Itaque ad eos perdẽdos meq́; liberandum accingere. v. 9. & 11

Institutæ petitionis suasio nondum est ad exitum perducta. Instat igitur Propheta & Iehouam de concessi postulati optatissimo euentu admonet hoc Syllogismo:

Arg. 7. *Si liberato me ab imminenti periculo, & deletis hostibus meis, futurum est vt sancti & fideles omnes lætentur, nomenque tuum prædicent: non est quamobrem à liberando me, hostibusq́; meis delendis abstineas.*

At me ab imminentibus periculis liberato, & hostibus meis deletis futurum est vt sancti & fideles omnes lætentur, gloriámque tuam celebrent. Vers. 12.

Libera igitur me Iehoua, & inimicos perde. Vers. 9. 11.

Assumptio hanc habet confirmationem:

Concessa mihi quam tantopere cupio liberatione, & dissipatis aduersarijs meis, illustre testimonium exhibebis paratissimæ voluntatis ad tuis benedicendum, eosq́; à periculis vindicandum. Vers. 13. *Quia iusto* (inquit) *benedicis, &*

& gratia circumtegis eum: id est, quoniam inde, nempe largiendo mihi salutem & liberationem, apertè testaris quàm promptè & expeditè fidelibus, siquando periclitentur, succurras;

Itaque me ab imminentibus periculis liberato, & hostibus meis deletis, futurum est vt fideles omnes lætentur, tuáq; gloriam celebrent. Vers. 12.

Confirmatio vers. 13. proposita habet diuinæ protectionis & gratiæ amplificationem à similitudine, quæ si partibus suis distinguatur & explicetur, erit eiusmodi:

Vt scuto corpus nostrum aduersus petitionem & vim protegimus:

Sic gratia & fauore suo protegit fideles Iehoua aduersus pericula & sceleratorum impetus.

PSAL. VI.

1 *PSalmus Dauidis traditus magistro Symphoniæ, vt cantetur in Neguinoth super Sheminith.*

2 *Iehoua, ne in ira tua reprehendas me, neque in excandescentia tua castiges me.*

3 *Sed gratiosus esto mihi Iehoua: quia languefactus sum. Cura me Iehoua. Nam obstupefacta sunt ossa mea.*

4 *Et anima mea obstupefacta est valde. Et tu Iehoua quousque?*

5 *Reuertere Iehoua: expedi animam meam. Saluum me fac propter gratuitam misericordiam tuam.*

6 *Nam non est in morte recordatio tui. In sepulchro*

pulchro quis celebrabit te?

7 *Defeci in gemitu meo. Feci vt natet per singulas noctes lectus meus. Lachrimis meis spondam meam irrigaui.*

8 *Caligauit præ angore oculus meus, & consenuit vi illorum omnium, quibus premor.*

9 *Recedite à me omnes qui datis operam iniquitati. Nam exaudiuit Iehoua vocem fletus mei.*

10 *Exaudiuit Iehoua deprecationem meam. Iehoua orationem meam acceptam habuit.*

11 *Erubescant & conturbentur valde inimici mei. Reuertantur, pudefiant momento.*

ANALYSIS PSAL. 6.

Monet Psalmi inscriptio fuisse ipsum & compositum à Dauide, & magistro Symphoniæ traditum, vt caneretur ad eam toni seu modulationis speciem quæ dicitur Neguinoth, sed adhibito instrumento musico chordarum octo, quod nomine Sheminith appellatur.

Psalmo hoc complexus est Propheta,

1. *Deprecationem, qua morbo grauissimo laborans vtebatur.* A principio vers. 2. ad finem vers. 8.
2. *Sanctam quandam insultationem aduersus hostes suos, eo nomine quòd præter eorum spem à Domino exauditus pristinam sanitatem recuperarit.* Vers. 9. 10. 11.

Prophetæ deprecatio potest hisce verbis comprehendi summatim:

Ne me Iehoua diutius castiges præsentis morbi acerbitate: sed pro misericordia tua ab eo me libera. vers. 2. 3. item 5.

Deprecationis membrum prius proponitur vers. 2. verbis hijs: *Ne me in ira tua reprehendas.* Reprehensionis nomine castigationem significat Propheta, prout versiculi secundi posteriori parte exponitur. Iræ verò appellatione, per Metonymiam causæ, morbum ab irato & excandescente Domino

mino inflictũ Dauidi, & diutius hærentem, notari arbitror.

Supplicationis membrum posterius, vt scilicet à morbo liberetur, vers. 3. traditur, & eodem iteratur. *Gratiosus* (inquit) *esto mihi Iehoua.* Quam hîc gratiam à Dauide implorari dicemus, nisi illam à morbo liberationis? Sanitatis recuperationem expeti sub illa generali gratiæ petitione, inde constat, quòd statim eodem versu cum Domino suppliciter agat vt curetur & conualescat. Ac si Dauidi propositum fuisset, disertè & speciatim exponere, quid in genere sub gratiæ nomine postulet. Morbi ingrauescentis & acerrimè pungentis, vel leuationem vel depulsionem requiri, liquet etiam è considerata prioris argumenti natura, adhibiti à Propheta ad instruendam suasionem gratiæ exhibendæ. Argumentum eiusmodi est (quemadmodum deinceps patebit) vt multò aptius ad persuadendum relaxationẽ morbi quàm peccati remissionem seruire videatur. Statuo igitur generali illa gratiæ petitione recuperandæ valetudinis postulatum contineri; & secundo versiculo comprehensam supplicationem haud aliud esse quàm postulati istius illustrationem quandam à *Diuersis* desumptam: ac si in hanc sententiam locutus esset Propheta: *Ne me diutius morbo excruciari sinas, effecto scilicet & testimonio iræ grauissimæ aduersum me tuæ: sed esto mihi gratiosus*, id est, *ex gratia erga me tua me ab eodem liberato & curato.*

Sed videamus quemadmodum apud Iehouam morbi excutiendi & sanitatis recuperandæ causam dicat Propheta.

Arg. 1. *Ita me vis morbi* (inquit) *grauiter affligit, vt vires totius personæ meæ, corporis nempe & animæ, fregerit & oppresserit.* Vers. 3. in medio & fine: itemque in principio vers. 4.

Quapropter ô Domine ne me diutius castiges præsentis morbi acerbitate, sed pro misericordia tua ab eo me libera, vers. 2. 3. 5.

Enthymematis antecedens primùm verbis generalibus comprehenditur in medio vers. 3. deinde quod in genere de totius personæ languore & eneruatione dicitur, id notatis personæ partibus ijs, quas attriuit morbus & confecit, in

specie

ſpecie illuſtratur. Partes illæ ſunt corpus & anima. Corpus oſſium nomine Synecdochicws ſignificatur verſ.3.in fine. Ad totius perſonæ amplificandam debilitatem, perſonæ vtraque pars obſtupefacta & examinata eſſe dicitur: id eſt, ſic labefactata & conuulſa, vt omni ſpiritu, motu,& facultate obeundi munus ſuum orbata videatur.

Poſtquam admonuit Propheta de totius perſonæ ſuæ proſtratis & attritis viribus, queritur multum temporis interfluxiſſe, ex quo hoſce tam graues cruciatus & angores perpetitur. Quod eo conſilio facit, vt diuturni temporis intuitu Iehoua admoneatur de minuenda iam tandem grauitate morbi, & reſtituenda ſanitate.

Arg.2. *Permultos iam dies* (inquit) *me ô Iehoua grauiſſimo hoc modo afflixiſti*. Verſ. 4. in fine. Vbi ſub interrogationis formula hanc ſententiam enunciauit Propheta: *Et tu Iehoua quouſque?* id eſt, quamdiu inſidere viſceribus meis, & hærere vis hoc tam graue malum? quaſi diceret: acerbiſſimè iamdiu excruciat me morbus iſte; adeo vt tempus ipſum de eo amouendo iure admonere queat.

Quocirca peto abs te, vt eo me pro tua ſingulari gratia leuatum eſſe velis. Verſ.2.3.5.

Pergit adhuc Propheta, ac tanquam decreuiſſet nullum proſequendæ ſupplicationis ſuæ tempus intermittere, nec conquieſcere niſi perfecta re de recuperata valetudine, Iehouam ſic alloquitur:

Arg.3. *Si morbum, quo propè conficior, non amoueris, nulla mihi in hac vita facultas dabitur, prædicandi clementiã ac bonitatem tuam*. Propoſitio hæc reiicetur: ſed in eius locum verſ. 6. ſubſtituta probatio comperietur.

Sed offerri mihi in hac vita oportunitatem aliquam magnopere cupio celebrandi gratuitam illam tuam miſericordiam & bonitatem. verſ. 5. vbi in hunc modum loquitur Vates: *Saluum me fac propter gratuitam miſericordiam tuam*: id eſt, libera me ab hoc morbo, vt reſtitutæ ſanitatis beneficio facultatem aliquam & oportunitatem aſſequi poſſim illuſtrandi gloriam miſericor-

diæ & bonitatis tuæ.

Quapropter morbum, quo prope conficior, amoueto. verſ. 2. 3.

5. Verſu quinto, liberatio quam poſtulat à morbo, appellatur *Iehouæ reditus ad ipſum*, reditus inquam quo teſtetur apud Prophetam & profiteatur officia veteris gratiæ ac beneuolentiæ. Vt enim cum ſuos excipit aſperius & affligit, receſſiſſe ab ipſis interim videtur: ſic reuertiſſe Iehoua dici poteſt, ſimulac lumine vultus & antiquæ gratiæ in ipſos quaſi refulgere cœperit. Quod autem adiungit verſ. 5 *Expedi animã meam:* haud aliud eſt quàm petitionis verſ. 2. & 3. comprehenſæ iteratio, (dummodo animæ liberatione ſynecdochicam perſonæ totius liberationem intelligamus) & quaſi illuſtrior explicatio quid per Iehouæ ad ſe reditum ſignificet.

Propoſitionem Syllogiſmi inſtituti omiſſam eſſe dixi: ſed ſuppleri vicem ipſius adhibita confirmatione: quam reperiemus eſſe eiuſmodi:

Qui mortui ſunt, ijs prædicandi nomen tuum inter viuos opportunitas non datur. verſ. 6.

At ſi morbum hunc à me non amoueris, futurum eſt vt in mortuorum numero ſim. verſ. 7. & 8.

Itaque ſi morbum hunc à me non amoueris, mihi prædicandi nomen tuum inter viuos facultas non dabitur.

Huius proſyllogiſmi Aſſumptio nõ eſt verbis diſertis propoſita, ſed re & ſenſu comprehenſa ſub illuſtratione quadã ipſius, verſ. 7. & 8. allata Siquidem hijs verſiculis Propheta, ne ſimulationis artificio vſus ludere videatur, apertè ſe extremo vitæ diſcrimine periclitari oſtendit, expoſitis nimirum mortis imminentis atque inſtantis quatuor indicijs. Ex hijs appropinquationem mortis ſuæ ſic concludit:

Eò debilitatus redigor vt vix ingemiſcere & ſuſpirare poſſim: humor natiuus corporis mei planè exaruit: viſus me deficit: & oculi mei retruſi interius ac quaſi demerſi in caput ſunt. verſ. 7. & 8.

Itaque ſi me morbo iſto neutiquam liberaueris, mihi continuò ex hac vita migrandum eſſe video.

Antece-

Antecedens Enthymematis illa quatuor, de quibus memini, mortis imminentis indicia complectitur.

Primum indicium est in principio vers.7.

Secundum in posteriori parte vers.7. Feci (inquit) *vt natet per singulas noctes lectus meus: lachrimis meis spondam meam irrigaui.* Sub hac locutionis forma vult innotescere nobis Propheta, se dum hoc morbo conflictaretur tam incredibilem interea lachrimarum vim profudisse, vt corpori suo nihil supersit humidi natiui, sed exhaustum plane sit & euanuerit.

Tertium est vers.8. in principio. Caligauit (inquit) *præ angore oculus meus:* id est, vi morbi, quo tantopere angor & tormentor, defecit visus meus.

Quartum est in postrema clausula vers.8. Consenuit (inquit) *siue interius retrusus est oculus meus vi illorum omnium, quibus premor.* Vt priori versus octaui membro angoris appellatio tribuitur morbo quo laboraret: sic in eiusdem versiculi parte posteriori eundem morbum nomine appellat rei, qua premitur, seu quæ est cruciatus acerbitate insignis. Morbi ista periphrasis numero plurali & addita nota vniuersali enunciatur, vt inde morbi huius notetur asperitas incredibilis ac prope singularis: quasi omnes omnium morborum acerbitates & cruciatus hoc vno complicati continerentur.

Hactenus Dauidis supplicatio exposita est: qua cum Iehoua egit de recuperanda sanitate.

Sequitur pia illa, qua ad insolentiam hostium suorum refutandam & frangendam vtitur, insultatio. Exoptabant illi interitum Prophetæ, & sperabant fore vt à morbo tam graui nunquam conualesceret. Id cum ex singulari Iehouæ misericordia & bonitate secus acciderit, ac illi opinione & spe confinxerant, adhibita religiosa quadam insultatione eorum malitiam & arrogantiam retundit. Insultationem tali Syllogismo conclusit:

Si Dominus exaudita oratione mea mihi sanitatem restituit: vos aduersarij mei, qui interitum meum consilijs, votis, &

spe tantopere estis prosecuti, quin erubescitis & ora vestra obstruitis? quin delusam spem vestram & irritos conatus confitemini?

At Dominus exaudita oratione mea mihi sanitatem restituit. Hoc vers. 9. semel propositum, bis vers. 10. repetitur.

Quin ergo vos aduersarij mei, qui interitum meum consilijs, votis, & spe tantopere estis prosecuti, ora vestra obstruitis? quin erubescitis & delusam spem vestram ac irritos conatus confitemini? vers. 9. in principio, & vers. 11. Recedite (inquit) *à me*; ac deinceps, *Erubescant & conturbentur valde inimici mei: reuertantur, pudefiant momento.* In hunc modum alloquitur Propheta aduersarios suos, quasi diceret: Vos qui nequitiæ operam nauatis, tempusque omne impietati transmittitis, cum iam consiliorum & cogitationum vestrarum spem exauditæ à Iehoua orationis meæ & restitutæ mihi sanitatis euentus fefellerit, refugite ab oculis & conspectu eorum, quibuscum vota & consilia de meo interitu communicare, & apud quos exquisitis contumelijs & calumnijs iniquissimis violare nomen meum & proscindere volebatis; agnoscite cum illusisse vos ipsis, tum me insigni iniuria affectum à vobis esse: ac proinde non parum subesse causæ quamobrem meruatis, ne isto nomine & apud populares vestros male audiatis, & mihi postquam ad summi imperij procurationem accessi, rationem scelerum vestrorum reddere cogamini.

PSAL. VII.

1 *Siggaion Dauidis, quod cecinit Iehouæ ad verba Cuschi Biniaminitæ.*

2 *Iehoua Deus mi, in te confido. Saluum me fac ab omnibus persequentibus me, & libera me.*

3 Ne

3 *Ne abripiat tanquam Leo animam meam, dilaceret, nemine liberante,*

4 *Iehoua Deus mi, si feci istud: si est iniquitas ista in manibus meis:*

5 *Si intuli malum colenti pacem mecũ (immo eripui qui me immeritò opprimebat)*

6 *Persequatur inimicus animam meam & assequatur: conculcet in terra vitam meam: & faciat vt gloria mea in puluere habitet. Selah.*

7 *Surge Iehoua in ira tua: extolle te contra rabiem inimicorum meorum: & euigilato pro me ad iudicium illud quod decreuisti.*

8 *Cœtus populorum circundet te: & supra hunc in altum reuertere.*

9 *Iehoua ius dicit populis. Iudica me Iehoua secundum iustitiam meam, & secundum integritatem meam in me.*

10 *Deficiat quæso malum improborum, & stabilito iustum, etiam tu Deus iuste, explorator animorum & renum.*

11 *Clypeus meus est in Deo: qui salutem dat rectis corde:*

12 *Deus iudicat iustum: & Deus fortis irascitur quotidie.*

13 *Si non conuertatur, gladium suum acuet: arcum suum adduxit, & sagittam aptauit ei:*

14 *Aptauit etiam in eum arma letifera: sagittas suas in feruidos istos occupaturus est.*

15 *Ecce: parturit iniquitatem. Concepit enim malitiam: sed mendacium pariet.*

16 *Puteum fodit & excauauit eum: deiecit eo se, vt in fouea operetur opus suum.*

17 *Malitia eius redibit in caput ipsius: & super verticem ipsius descendet violentia eius.*

18 *Celebrabo Iehouam secundum iustitiam eius: & psallam nomini Iehouæ excelsi.*

ANALYSIS PSAL. 7.

Psalmi inscriptione admonemur,

1. *De Psalmi authore.* Is autem fuit Dauid.
2. *De genere Psalmi.* Est verò ode mixta, si Tremellium audimus: id est, cantu multiplex, & per omnes modos musicæ quasi oberrans. Gallicæ editionis authores voce *Siggaion* significari volunt, canticum antiquitus vsurpatum ab ijs, qui doloris æstu abrepti continere se ab oratione intemperata & efferuescentium affectuum impetu concitata non potuerunt. Mollerus illa voce professionem innocentiæ seu inficiationem calumniæ notari putat. Ac profectò, si Prophetæ consilium spectemus, non incommodè sic exponi potest. Hoc enim ista in ode propositum Dauidi fuit, vt purgaret se ab obiecto crimine, & de innocentia sua palàm profiteretur.
3. *De occasione, qua adductus Propheta ad huius Psalmi meditationẽ accessit: ea fuit Cuschi Beniaminitæ virulenta calumnia & conficta ad Dauidem Maiestatis crimine accersendum accusatio.* Credibile est Beniaminitã hunc, quicunque tandem fuerit, siue cognationis vinculo Sauli coniunctus, siue è primoribus regni, & ex aulæ Regiæ purpuratis quispiam alius, Dauidi crimen intendisse affectati regni, & aduersus Sauli vitam coniurationis cuiusdam initæ, illius scilicet, de qua se purgat Propheta. 1. Sam. 24. 10.
4. *De fine compositæ & decantatæ odes: quippe quam cecinerit Iehouæ:* id est, de consilio (sic enim pace aliorum interpretor)

terpretor) vt Iehouæ de sua innocentia, quantum ad crimen obiectum attinet, satisfaciat; & vitæ periculum deprecetur.

Psalmi partes duæ sunt: quarum altera continet,

1. *Petitionem liberationis ab hostibus*: à principio versus secundi ad finem vers. 10.

2. *Petitionis euentum*: à principio vers. 11. ad Psalmi exitum.

Petitionis summa huiusmodi est:

Libera me ô Iehoua ab inimicis meis, vers. 2. 7. 8. 10.

Vers. 2. petitio disertis verbis proponitur: sed vers. 7. & 8. sub ea specie & figura orationis, quæ à solenni forma & consuetudine publici inter homines iudicij exercendæ desumpta, ad id exprimendū transfertur, quod in liberationis suæ negotio à Iehoua fieri cupit Propheta. Vrget igitur vt Iehoua quasi indictis & habitis comitijs tribunal cōscendat, & in eo se ad iustissimi Iudicis munus obeundum comparet. Hinc est quòd vers. 9. tam sollicitè contendat, *vt expergefiat & surgat Iehoua tanquam è lecto diuturnæ erga hostes suos patientiæ, extollatq; se ad compescendam & frangendam rabiem impiorum*. Hinc etiam est quòd vers. 8. conuentus & comitia indici à Domino & haberi tantopere cupiat, vt esse possint administri aliqui & rerum expediendarum testes. Hinc porro est quòd eodem 8. versu petat, vt Iehoua reuertatur, & tanquam denuò ascendat in tribunal illud suum, vnde quasi ad accuratius disquirendum de hominum impietate & nequitia descendisset. Hinc denique est quòd vers. 9. & 10. cum Domino agat de ferenda ac pronuncianda sententia in præsenti controuersia. Videmus notari à Dauide gradus quosdam in iudiciali processu obseruari solitos: sed quorsum tanto studio vrgetur istud à Propheta, vt Iehoua non modò paret se ad forum, sed pro tribunali sedens in conuentu amplissimo litem disceptet & dirimat? Annon hoc postulatur vt in controuersia quæ Dauidi cum impijs intercedit, ius dicat? At si inter litigantes istos ius dixerit Iehoua, sententiam ferri conuenit de absoluendo Dauide, id est, eo liberando ab hostibus, & de ijs condemnandis, id est, supplicio tradendis, qui astu aut vi Dauidē è medio tollere

voluerunt. Liquet igitur sub hac orationis specie & habitu, quæ à similitudine & solenni formula publici in hominum foro iudicij constituti desumitur, id vnum peti à Dauide, *vt ab inimicis suis liberetur*. Postulatum illud vers. 2. & 9. nulla adhibita modificatæ & translatæ orationis forma proponitur: immo etiam extrema versus septimi clausula & ver. 10. non obscurè comprehenditur. *Euigilato* (inquit) *pro me ad iudicium illud quod decreuisti*, id est, perage & exequere eam iustitiæ partem, quæ te decernente & authore meam ab hostibus liberationem & in regio solio inaugurationem spectat. Quod verò ait vers. 10: *Deficiat quæso malum improborum, & stabilito iustum*: nónne hanc sententiam complectitur? *Domine dissipa quæso & ad nihilum redige hominum facinorosum*, id est, *hostium meorum conatus: & eorum malitiam & fraudes sic coerce, vt progredi vlterius non queant: me verò, qui à crimine obiecto immunis sum, stabilito*, id est, *sic tuere & sustenta, vt quod mihi periculum & perniciem machinantur, declinare possim & subterfugere*. Nomine *iusti*, synecdochicos ipse Propheta intelligendus est, vt qui in hoc, de quo eũ inimici accusabant, omni prorsus culpa vacaret.

Prophetæ petitio quæ sit, & quibus comprehensa versiculis, videmus. Superest vt institutæ petitionis suasionem attendamus. Argumentum primum tale est:

Arg. 1. *Qui à te in liberationis suæ negotio totus pendet ô Iehoua, ei tu æquum est vt liberationem ab hostibus largiare.*

At ego is sum qui in liberationis meæ negotio totus à te pendeo. vers. 2, in principio.

Quamobrem is ego sum, cui æquum est vt liberationem ab hostibus largiare. vers. 2. in posteriore parte.

Propositio reticetur: vtpote quæ promissionis à Deo factæ ijs, qui extremo discrimine periclitantes ad ipsum confugiunt, celebre illud & illustre axioma complectatur.

Assumptio, in quam Dauid professionem inclusit suæ in Dominum repositæ fiduciæ, est conditionis illius, qua promissio diuina nititur præstatio.

Conclusione *igitur*, cum anexa promissioni conditio præstita sit, appellatur Iehoua & vrgetur de fide liberanda,

qua

qua se obstrinxit. Sed persequitur David salutis suæ petitionem, hoc nempe modo:

Arg. 2. *Si me ab hostibus liberare haudquaquam placeat, illi me crudeliter tractatum & immaniter mactabunt.* ver. 3.

Placeat itaque tibi ô Iehoua me ab illis liberare. vers. 2.

Antecedenti exornatio addita est à cōparatione similium.

Vt Leo ouiculam à pastore destitutam corripit & dilaniat:

Sic in me ope tua & patrocinio orbatum irruent hostes mei, & pro singulari immanitate sua minutatim discerpent.

Supplicationis à Propheta oblatæ suasio producitur adhuc, tractata certè excellenti argumento professionis cuiusdam, quam publicè instituere de innocentia sua ipsi visum est. Conclusio eiusmodi est:

Arg. 3. *Si maleficij, cuius accusor, minimè reus fuero: eam in causa mea iustitiam adhibe ô Iehoua, qua liberer ab accusatoribus & inimicis meis.* vers. 9. in posteriore parte. Sic enim interpretor illam clausulam: *Iudica me Iehoua secundum iustitiam meam, &c.*

At maleficij, cuius accusor, minimè reus sum. Assumptionis loco illustratio ipsius substituta est. vers. 4. 5. 6.

Eam igitur in causa mea iustitiam adhibe ô Iehoua, qua liberer ab accusatoribus & inimicis meis. vers. 2. 7. 8. 10.

Huius Syllogismi primùm Assumptio, deinde propositio à Dauide disputatur. Assumptionis tractatio prosyllogismis duobus perficitur: quorum prior sic concluditur:

Si criminis obiecti reus sim: & me acerbissimo supplicio excruciatum mactanto, & labes æternæ ignominiæ post mortem in nomine meo insideto ac inueterato. vers. 4. 5. 6

Propositionis istius membrum prius est vers. 4. expressum bis: & postea vers. 5. repetitum: vbi Saul dicitur is qui pacem cum Dauide coluit: id est, is quem fingebant impij studiosum Dauidis fuisse, & ab iniuria ei inferenda longè alienum. Propositionis membrum posterius est, vers. 6. vbi pœnæ, quam ipse sibi imprecatur Propheta, pars prior hisce verbis comprehenditur: *Conculcet in terra vitam meam,* id est, me immani & barbaro more trucidet. Imprecationis pars

altera

altera sequitur expressa sic: *Et faciat vt gloria mea in puluere habitet.* Gloriæ vocabulo intelligit nominis sui existimationem & decus; voce pulueris, abiectissimam & infamiæ plenam conditionem: nomine habitationis, perennem in ea commorationem.

At nollem, si criminis obiecti reus essem, adhibita imprecatione ipse me tam diræ pœnæ nullo cogente exponere & deuouere. Assumptionem hanc conceptis verbis proponere minime necesse fuit, cum nemo fuerit qui Prophetæ de ea non assentiretur.

Itaque criminis, cuius me insimulant inimici, reus non sum.

Innocentiæ, quam profitetur Dauid, prosyllogismus alter sequitur:

Quoties ferebant tempora, nunquam, oblata facultate, Sauli in salute ipsius à periculis tuenda defui. vers. 5. Huius protestationis veritas 1. Sam. 24. 6. exponitur.

Ac proinde sceleris seu coniurationis aduersus Saulis vitam initæ reus non sum.

Assumptionis propositæ, in qua de integritate sua tanto studio profitetur Dauid, Prosyllogismus duplex expositus est. Restat propositionis confirmatio. Ea in hanc formam instructa est:

Tuum est, ô Iehoua, qui totius mundi summus Iudex es, iudicere & tribuere populo tuo. vers. 9. in principio. Vbi Prophetam sic interpretari conuenit, ac si oratione directa Iehouam alloqueretur & compellaret, vt ex conclusione, quæ eodem versu statim subijcitur, apparet.

Me igitur, qui criminis obiecti reus non sum, secundum integritatem meam ab inimicis meis libera. vers. 9. in posteriore parte.

Vers. 10. repetitur (quemadmodum supra exposui) liberationis & salutis petitio, sed facta nouæ commendationis accessione. Siquidem ijs titulis in versiculi fine Iehouam ornat, quibus de iure dicundo admoneri possit ac debeat. *Stabilito* (inquit) *& protege me, etiam tu Deus iuste & explorator cardium.* Hic ego Dauidem sic loquentem interpretor,

ac

ac si Iehouam in hæc verba affatus esset:

Si mihi homini innocenti & id quod æquissimũ est postulanti ius haudquaquam dixeris & tribueris: id tuæ aut voluntati aut ignorationi integritatis meæ ascribendum est.

Sed nulla voluntatis culpa à iure dicundo & tribuendo refugies, cum sis naturâ & professione iustissimus. Nec verò ex vlla in te ignoratione innocentiæ meæ potest id accidere, cum tibi, quicquid in hominis corde maximè reconditum abstrusumq́; fuerit, compertissimum sit.

Ac proinde non dubito quin mihi homini innocenti & quod æquissimum est, nempe salutem & liberationem postulanti, assensurus sis.

Hactenus de liberationis exoptatæ petitione. Consequens est, vt de petitionis euentu inquiramus.

Petitionis exhibitæ euentus triplex à Dauide describitur:

1. *Certissima persuasio fore vt liberetur:* id quod è Prophetico spiritu præuidet.
2. *Interitus hostium suorum:* de quo per eundem Spiritũ vaticinatur.
3. *Professio celebrandi Iehouam vtriusque beneficij nomine, viz. & misericordiæ erga se, & vindictæ in impios.*

Quod ad persuasionem Prophetæ attinet, fore scilicet vt ab inimicis suis liberetur, eam hoc Syllogismo niti comperimus:

Iustissimus ille Iudex, qui innocentem tuetur & impium supplicio afficit, me sine dubio tuebitur & liberabit ab inimicis meis.

Iehoua quem iustitiæ aduersus hostes meos obtinendæ causâ appello, est iustissimus ille Iudex, qui innocentem tuetur & impium supplicio afficit. vers. 11. & 12. Protegi à Domino innocentem, quem Dauid rectum corde & iustum nominat, constat è fine versus vndecimi & principio duodecimi. Impium à Iehoua tradi supplicio docet vers. 12. postrema clausula, quæ iræ diuinæ meminit. Ira autem Dei, quid aliud est quàm diuinæ iustitiæ pars illa, quâ impijs pœna infligitur?

Iehoua igitur sine dubio me ab inimicis meis tuebitur & liberabit.

berabit. verſ. 11. in principio.

Interitum hoſtium ſuorum, qui eſt exhibitæ ſupplicationis euentus alter, proponit hoc Syllogiſmo Propheta:

Si inimici mei in ſuis contra ſalutem meam impijs conatibus perſtiterint, delebit ipſos perdetq́ Iehoua. verſ. 13. & 14.

At in ſuis contra me impijs conatibus perſtant inimici mei. verſ. 15. & 16.

Iehoua igitur eos perdet & delebit. verſ. 17.

Propoſitionis antecedens verſ. 13. principio comprehenditur hijs verbis: *Si impius non conuertatur*: id eſt, per Synecdochen generis, ſi inimicus meus perſtiterit in ſuis conatibus, &c. Propoſitionis conſequentem expreſsit Propheta orationis ſpecie quadam & forma, deſumpta illa quidem ab apparatu militari. Nam Iehoua ad impios perdendum accinctus, militi ad hoſtes ſuos delendum accincto comparatur. Miles cum interitum afferre vult hoſtibus, gladium acuit, arcum contendit, ſagittis aptandis & emittendis incumbit. Iam verò vt conſtet Iehouam ad impiorum interitum meditari, immo ijſdem diſsipandis & profligandis incumbere, tribuitur ei à Propheta habitus militaris, gladius ſcilicet, arcus, & ſagitta,

Aſſumptio eſt verſ. 15. & 16. vbi captum ab impijs de ſcelere perpetrando conſilium, ſeu maleficij texendi ratio, fœtus in vtero conceptioni & efformationi comparatur: conatus & ſtudium exequendi conceptam nequitiam parturitioni mulieris de excludendo fœtu laborantis: actus ipſe ſeu maleficij executio partim infantis partui, partim putei effoſſioni à venatore ad feram intercipiendam elaboratæ. Atque hæc eſt prima Aſſumptionis exornatio è comparatione ſimilium. Secunda eſt è notatione inanis cuiuſdam euentus, quem conſilia & machinationes improborum ſortiuntur. Nam (vt ait Propheta) mendacium pariunt: id eſt, conſilio euentus non reſpondet, ſed irritus ac inanis redditur.

Concluſio eſt verſ. 17. *Malitia eius* (inquit Propheta) *redibit in caput eius*: & ſuper verticem ipſius deſcendet violentia eius: id eſt, Iehoua ſic impij hominis conſilia & conatus moderabitur ac diſponet, vt ex ijs ipſe ſibi certam

perniciem

perniciem accersat.

Tertius petitionis à Propheta institutæ euentus, professio scilicet prædicādi nomen Iehouæ, cum ob concessæ salutis & liberationis beneficium, tum ob euersionem & interitum hostium suorum, comprehenditur vers. 18. vbi iustitiæ nomine tam misericordia Iehouæ erga suos, quàm vindictæ seueritas erga improbos intelligenda est.

PSAL. VIII.

1 *MAgistro Symphoniæ traditus Psalmus Danidis cantandus super Gittith.*

2 *Iehoua Domine noster: quàm magnificum est nomen tuum in vniuersa terra; qui posueris gloriam tuam supra cœlos!*

3 *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam: propter hostes tuos: ad compescendum inimicum & vltorem sui.*

4 *Cum respicio cœlos tuos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas, quas statuisti:* video ex ijs etiam te perfecisse laudem tuam.

5 *Quid est mortalis quòd memor sis eius? & filius hominis quòd visites eum?*

6 *Minorem quidem paulò fecisti eum Angelis: sed gloria & maiestate coronasti eum.*

7 *Præfecisti eum operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus eius:*

8 *Greges & armenta quotquot sunt: etiámque bestias agrestes:*

9 *Aues cœli & Pisces maris: & quicquid permeat semitas marium.*

10 *Ieho-*

10. *Ieh[illegible] Domine noster: quàm magnificum est nomen tuum in vniuersa terra!*

ANALYSIS PSAL. 8.

Psalmi epigraphe loquitur,

1. *De Psalmi authore, nempe Dauide.*
2. *De Psalmi cantore, viz. Symphoniæ magistro cui ad canendũ tradebatur.*
3. *De genere instrumenti musici, quo in huius Psalmi decantatione Symphoniæ magister vti debuit.* Sic vocem à Propheta adhibitam Gallicæ editionis authores interpretantur. At Tremellius & Iunius voce illa notari putãt locum, vbi Psalmus à Dauide conscriptus est, nempe Gitthæam viam siue stationem & commorationem, tum scilicet cum ex vrbe syluarum arcam Iehouæ in domum Hobededomi deducendam curaret. Alij eo vocabulo significari volunt tempus, quo Psalmus decantandus fuit: tempus nimirum torcularium seu vindemiæ, quod ad nominis diuini prædicationem celebrari ab Israelitis solebat, factà beneficiorum, quæ ad vitam alendam & tuendam à Iehoua accepissent, solenni commemoratione.

Ad Psalmum ipsum quod attinet: videmus regium Vatem admiratione captum diuinæ maiestatis in operibus naturæ & gratiæ insigniter relucentis, hanc thesin disputandam suscepisse:

Nomen tuum (Iehoua) est per vniuersum orbem admirabiliter gloriosum & magnificum.

Thesis ista, cuius explicationem aggreditur P[illegible]pheta, verbis disertis vers.2.& 10. proponitur. Quòd verò vers. 2. de gloria Dei supra cœlos collocata affirmatur, id hanc habet vim: eam esse scilicet gloriæ diuinæ magnitudinem, vt orbis terræ finibus contineri nequeat, sed cœlos ipsos similiter compleat: ac proinde tantam esse, vt ei ne mentis quidem cogitatione quicquam addi posse videatur.

Sed demonstrationem si placet thesis propositæ attendamus.

mus, eam sic informatam reperiemus.

Cuius laudem prædicant opera & naturæ & gratiæ, illius nomen est per vniuersum orbem admirabiliter gloriosum & magnificum.

At tu is es ô Iehoua, cuius laudem prædicant opera & naturæ & gratiæ. A principio vers.4.and finem vers.9.

Tu ergo is es, cuius nomen est per vniuersum orbem admirabiliter gloriosum & magnificum. v.2. & 10. vbi synecdochicωs terræ nomine tota vniuersitas intelligitur.

Assumptio duobus membris constat: quorum alterum est de operibus naturæ, de gratiæ operibus alterum.

De naturæ operibus membrum illud, specialium exemplorum inductione seu duplicis instantiæ notatione illustratur. Instantia prior est de infantibus & lactentibus: posterior de sphæris cœli & earum partibus. E priori instantia conclusio deducta hæc est:

Quorum ore conuincuntur Athei, & agnoscere coguntur veritatem & gloriam diuinæ prouidentiæ, per eos Iehouæ laus apud omnes publicatur & promulgatur.

At infantes & lactentes ij sunt, quorum ore conuincuntur Athei, & agnoscere coguntur gloriã diuinæ prouidentiæ.

Ergo infantes & lactentes ij sunt, per quos Iehouæ laus apud omnes publicatur.

Propositio vt rem minimè dubiam complexa omittitur.

Assumptio est in tertij versiculi parte posteriori: vbi ore infantium Atheos conuinci asseritur primùm hisce verbis: *propter hostes tuos*: id est, vt hostes tui per lactentes & infantes refutentur & conuincantur. Deinde paulò apertiùs hac sequenti clausula: *ad compescendum inimicum & vltorem sui*: id est, ad eum tam neruosa & illustri demonstratione refellendum, vt contradicendi facultate & argumento destitutus cogatur obmutescere, immò de prouidentiæ diuinæ veritate & gloria confiteri. Athei & Epicuri isti *Iehouæ h[illegible] & vltores sui* à Dauide appellantur. *Hostes*: eò quòd Iehouæ renuncient, ipsius legibus reluctentur, ipsius nomen ac gloriam obterant & proculcent. *Vltores sui*: quia administrandæ iustitiæ munus ipsi sibi priuatim & nullo authore assumunt.

assumunt, cum id quidem sit Iehouæ proprium, & eorum quibus dicundi iuris authoritatem Iehoua delegauit.

Conclusio est in principio vers. 3. Sed quodnam est illud infantium & lactantium os, cuius versiculus tertius meminit? Est certè in illis vitæ & viriũ diuinitùs facta sustentatio, partim vi subministrati alimenti ab vberibus nutricis, partim ijs conseruandis & vindicandis à vitæ periculis. Hoc ore & voce de Iehouæ admirabili prouidentia & bonitate concionantur infantuli. Ex hoc ore dicitur Dominus laudem suam perficere, id est, potentiæ, sapientiæ & bonitatis suæ gloriam hominibus exponere & annuntiare, non ex parte, & obscurè, sed ita illustri & luculenta ratione, vt non modò aures hominum ipsius laude ab infantulorum ore profecta circumsonent, sed ea etiam in luce omnium & oculis collocetur. Hæc igitur est gloriæ diuinæ singularis perfectio, cum & splendore tanta existit, vt nulla contradictionis labe obscurari, & sic ad diuturnitatem stabilis est, vt incurrentiũ calumniarum impetu conuelli nequeat.

Instantia posterior, ea scilicet quæ est de sphæris cœli earumque partibus, quales sunt stellæ errantes & fixæ, est comprehensa versu quarto. An igitur hoc versu asseritur à sphæris cœlestibus earumque adiunctis stellis promulgari Iehouæ laudem perficique? Fateor istam diuinæ gloriæ publicandæ actionem non esse verbis distinctis & explicatis propositam: sed (saluo aliorum interpretum iudicio) repetendam è versu tertio, & in quartum sensus explẽdi gratia transferendam esse intendo. Assentientur (credo) mihi interpretes propositam esse Dauidi vt Iehouæ gloriã etiam à naturæ operibus, è quorum numero infantuli sunt, prædicari doceat. Id si demus: annon & versiculorum & sententiæ versiculis conclusæ aptissima cohærentia ac Prophetę consilio perreleganter inseruiens, euincet, id esse vers. 4 de [illegible] & stellis intelligendum, quod præcedenti versiculo de infantulis dicitur? Ait Propheta ex ore infantium & lactentium perfici Iehouæ gloriam, id est, diuinæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis eos præcones esse. Quid est cur non idem cœlis & stellis tribuendum esse arbitremur?

Sed

Sed quo tandem argumento demonstrat annuntiari à cœlis & stellis Iehouæ laudem? *Sunt* (inquit) *opus digitorum tuorum:* id est, si machinæ cœlestis & stellarum originem, essentiam, ordinem & vsum spectes, comperies opera esse tam admirandæ & singularis præstantiæ, vt in ijs ad summam perfectionem nihil amplius desideres. Inde igitur est, quòd ab illis ornari Iehouæ nomen & passim illustrari dicat. Conclusio eiusmodi est:

Opera digitorum tuorum, ô Iehoua, perficiunt laudem tuam; id est, de potentiæ, sapientiæ, & bonitatis tuæ gloria per vniuersum orbem concionantur.

At cœli & stellæ sunt opera digitorum tuorum. vers. 4.

Itaque cœli & stellæ perficiunt laudem tuam. Supplenda hæc conclusio est in extrema parte versiculi quarti: vbi admissam ellipsin deprehendes.

Hactenus duplicis instantiæ inductione, prioris ab infantulis, posterioris à cœlis desumptæ, demonstratum est prædicari ab operibus naturæ gloriam Iehouæ. Superest vt quemadmodum idem ab operibus gratiæ præstetur, exponat.

Celebrari ab operibus gratiæ nomen Iehouæ & per orbem vniuersum annuntiari docetur itidem specialis exempli seu instantiæ inductione. Siquidem in hanc sententiam à regio Vate disseritur:

Hominem in Christo Iesu ad eum gloriæ & dignitatis gradum extulisti, qui ipsis Angelis nõ conceditur. v. 6. in fine.

Itaque hoc gratiæ opere tam excellenti & admirando nominis tui laudem per vniuersum orbem illustrasti. v. 2. & 10.

Antecedens Enthymematis vers. 6. comprehenditur hisce verbis: *gloria & maiestate coronasti eum:* nempe, ea gloria, cuius Angeli participes non erunt. Notari oratione Prophetæ hunc gloriæ gradum liquet ex Epistola ad Hebræos; vbi Apostolus è Psalmo octauo testimonium afferens, quo demonstret Dominum fidelibus vnà cum capite suo Christo Iesu mundum futurum subiecisse, id est, perexcellentẽ dignitatis ac dominationis in omnes creaturas ipsis tandem subijciendas gloriam concessisse, disertè negat gloriã hanc

cum Angelis communicandam esse. Quòd si igitur id homini non Angelis ex singulari prærogatiua concessum est, vt gloriam dominationis in mundum futurum vnà cum Christo cōmunem habeant: consequens est, à Domino hominem gloria & honore supra Angelos coronatum esse, id est, credentes eum in Christo potestatis in mūdum futurum & dominij honorem adeptos esse, vt in eo ipsis Angelis præferendi sint. Atque hæc est thesis illa, quam Propheta regius à principio quinti versiculi ad decimum vsque disputandam sibi & explicandam proposuit. Attendamus ergo quemadmodum istam de hominis supra Angelos dignitate & exaltatione thesin persequatur & illustret. Adhibita illustratio est multiplex:

1. *A causa huius exaltationis & gloriæ.* Ea autem est Iehouæ erga hominem immensa illa & gratuita misericordia, vt è vers. 5. patet. *Quid est mortalis* (inquit) *quòd memor sis eius visitesq́; eum?* Hîc Dei in hominem amor planè gratuitus sub gratuiti amoris effecto significatur. Nam amica & officiosa visitatione quępiam prosequi, memoremq́ue esse conferendi in ipsum beneficij, est amoris non vulgare testimonium & effectum. Homo, si originem ipsius intueamur, est quiddam ipsa vilitate vilius: si cordis inclinationem, deprauatissimus: si vitæ actiones, ad omnem impuritatem factus quodammodo & proiectus. Ac tamen Iehoua maiestatis & gloriæ splendore infinitus non eum à se repellit & amandat, sed, amicissimæ cuiusdam visitationis officio prosequitur, seq́ue illius memorem esse è gratuito & singulari amore profitetur.

2. *A comparatione dissimilium.* In hac, vt quam Iehoua rationem secutus est in hominis creatione secunda, eam eò magis ornet & exaggeret, exponit quid in prima ipsius creatione præstiterit.

In hominis creatione prima (inquit) *hominem è puluere terræ creando, Angelis paulo inferiorem fecisti.* vers. 6. in principio.

At in hominis regeneratione, dii scilicet eum è pretiosissimo

ssimo sanguine & Spiritu Messiæ secundò creat formasq́, hominem Angelis honore & gloria superiorem fecisti. vers.6.in fine.

3. *Ab adiuncto:* notato scilicet in specie eo gloriæ & celsissimæ dignitatis gradu, ad quem euecti in Christo fideles sunt. Dignitas ista & exaltatio fidelium supra Angelos sic concluditur:

Quem dominationis in vniuersi orbis creaturas vnà cum Christo participem fecisti, is dignitatis & gloriæ conditionem supra Angelos sortitus est.

At homo is est, quem dominationis in orbis vniuersi creaturas vnà cum Christo participem fecisti. vers. 7. Principatum de quo iam loquitur, interpretari conuenit, non de præsenti solùm sed de futuro mundo. Heb. 2.

Ac proinde homo is est qui dignitatis & gloriæ conditionem supra Angelos sortitus est. vers.6. in fine.

Assumptio est confirmata ab inductione specialium:

Hominis dominio subiecisti creaturas terræ, aëris & maris. vers.8.& 9. Vbi per Synecdochen cæteræ omnes creaturæ tam cœlestes quàm terrestres intelligendæ sunt.

Hominem itaque dominationis in orbis vniuersi creaturas vnà cum Christo participem fecisti, vers.7.

PSAL. IX.

1 *MAgistro Symphoniæ Psalmus Dauidis canendus ad Muthlabben.*

2 *Celebrabo Iehouam ex toto animo meo: enarrabo omnia mirabilia tua opera.*

3 *Lætabor & exultabo in te: psallam nomini tuo ô excelse.*

4 *Nam inimici mei sunt versi retrorsum: corruerunt & perierunt à facie tua.*

5 *Nam tu mihi tribuisti ius & rectum: sedisti in solio ô iuste Iudex.*

6 *Increpasti Gentes: perdidisti improbum: nomen eorum deleuisti in sæcula sempiterna.*

7 *O inimice: consummatæ sunt vastitates in æternum? extirpasti ciuitates? istorum, istorum memoria periit.*

8 *At Iehoua in seculum sedet: comparat ad iudicium solium suum.*

9 *Et ipse iudicat orbem iustè: ius dicit nationibus rectissimè.*

10 *Et Iehoua est edita arx oppresso: edita arx temporibus quibus est in angustia.*

11 *Ac qui nouerunt nomen tuum, fiduciam habent in te: quia nō derelinquis quærentes te Iehoua.*

12 *Psallite Iehouæ qui habitat in Sion. Annuntiate inter populos res gestas eius.*

13 *Nam inquirit de sanguine & recordatur eius. Non obliuiscitur clamorem pauperum afflictorum.*

14 *Gratiam fac mihi Iehoua. Respice afflictionem meam illatam ab osoribus meis: exaltans me è portis mortis:*

15 *Ut enarrem vniuersam laudem tuam in portis filiæ Sionis: dicens, Exultabo in salute tua.*

16 *Demersæ sunt gentes in foueam quam fecerunt: ad rete quod absconderant captus est pes eorū.*

17 *Notum se fecit Iehoua iudicio quod exercuit. In opere manuum suarum illaqueatus est impius. Higgaion Selah.*

18 *Retro-*

18 *Retroagentur impij in infernum: omnes gentes oblitæ Dei.*

19 *Non enim in æternū obliuioni tradetur pauper: expectatio pauperum non est peritura in perpetuum.*

20 *Surge Iehoua, ne roboret se mortalis. Iudicium subeant gentes coram facie tua.*

21 *Incute timorem eis Iehoua. Agnoscant gentos se mortales esse. Selah.*

ANALYSIS PSAL. 9.

Inscriptione docemur de Psalmi efficiente: de persona, cui decantatio eiusdem commissa est: de modulationis specie, qua in eodem canendo magister Symphoniæ vti debet. Vox illa *Muthlabben* pro interpretum varietate variè exponitur. Mihi scita admodū & probabilis videtur interpretatio illa, quæ monet Hebræo vocabulo exordiū notari alicuius cantici ad laudem diuinæ potentiæ, iustitiæ ac misericordiæ celebrandam comparati. Dauidem verò præcepisse, vt pro huius cantionis modulatione, quæ initium à voce *Muthlabben* capiebat, hic quem dictante Spiritu perscripsisset Psalmus à magistro Symphoniæ decantaretur.

Psalmi partes duæ sunt: quarum priore gratissimam agnitionem suæ ab hostibus liberationis, posteriore supplicationem quandam Propheta complexus est: illam vers. 2. ad vers. 14. hanc vers. 14. ad Psalmi finem.

Gratissima illa acceptæ liberationis commemoratio duabus rebus vertitur:

1. *Celebratione quadam diuini nominis.* vers. 2. ad 12.
2. *Cohortatione aliorum ad idem celebrandi Iehouæ munus obeundum.* vers. 12. & 13.

Celebratio diuini nominis à Dauide adhibita perficitur,

1. *Notatione circumstantiarum quibus celebrationem illam persequendam esse censet.*
2. *Explicatione argumentorum, quibus adductus gloriam Iehoua*

uæ prædicat.

Forma illa & adiunctæ circumstantiæ, quibus ornate diuini nominis celebrationem Dauidi placet, sic ab eo exponuntur vt doceat præstari eam à se

1. *Non ad speciem aut ostentationem, sed summa cordis integritate.* vers. 2. in principio.

2. *Non parcè aut dimidiatim, sed plenè ac cumulatè, expositis scilicet & in publicam lucem deductis, non aliquibus, sed ijs omnibus Iehouæ admirandis actionibus, è quibus opportunè interpositis Prophetæ ab hostibus liberatio consecuta est,* vers. 2. in fine.

3. *Non homini sed Iehouæ integram gloriam salutis concessæ tribuendo. Ait enim vers. 3. Lætabor in te, id est, cum te solum liberationis meæ authorem & Principē agnoscam, facere non possum quin ijs terminis lætitiam meam circumscribam quibus tuæ ad me liberandum susceptæ actiones continentur.*

4. *Non interno tantùm & recondito animi sensu, sed externa corporis demonstratione & gestu. Nam vers. 3. ait velle se exultare & psallere nomini Iehouæ: id est, quam è liberatione præstita mihi abs te lætitiam capio singularem, eam non solùm mente & cogitatione persequar: sed etiam externa significatione & indicijs profitebor.*

Argumenta, quibus adductus ad diuini nominis gloriam prædicandam accedit, duplicia sunt. Primum tali Enthymemate conclusum reperiemus:

Tu ô Iehoua, inimicos meos deleuisti, & me seruum tuum liberasti. vers. 4. 5. 6.

Ac proinde nomen tuum celebrabo. vers. 2. & 3.

Antecedentis pars prior, quæ de hostibus Prophetæ expugnatis loquitur, est vers. 4. comprehensa, & sexto repetita. Posterior, quæ liberati Prophetæ meminit, est hisce verbis vers. 5. expressa: *Tu mihi tribuisti ius & rectum: sedisti in solio, ô iuste Iudex.* Hîc Metonymicos sub causæ nomine effectum significatur, Prophetæ nempe ab hostibus liberatio sub nomine adhibiti à Iehoua processus iudicialis, & inde profectæ & administratæ iustitiæ. *Sedisti* (inquit Propheta

pheta) *in solio*: id est, quasi citatione facta pro tribunali hostium meorum, iisque conuictis immanissimi flagitij & sceleris, ad absolutionis & liberationis in ea, quæ me attingit, causa sententiam pronuntiandam & exequendam accessisti.

Secundum argumentum, quo velut fundamento aliquo suscepta à Dauide Iehouæ celebratio nititur, est eiusmodi:

Iehoua in æternum regnat & dominatur. vers. 8. vbi Iehoua dicitur in seculum sedere, & solium suum ad iudicium comparasse. Hac loquendi formula à ciuilium in terris magistratuum more petita, qui soliis ad iudicia comparatis insidere solent cum notum esse volunt dici ab eis ius & administrari, notat Propheta Iehouæ regiam administrationem & imperium.

Itaque Iehouæ nomen celebrabo. vers. 2. & 3.

Enthymematis antecedens triplicem habet exornationē.

1. *A comparatione dissimilium, sic:*

Inimici Iehouæ funditus interierunt. vers. 7. in fine: vbi nullam eorum memoriam superesse dicitur: ita obruti planè & extincti iacent.

At Iehoua in æternum regnat & dominatur. vers. 8.

Dissimilitudinis propositio tractatur Dissimili, sic:

Nos salui sumus vtcunque minati illi sint & machinati interitum nostrum. vers. 7 in principio. Vbi Propheta hostes suos compellans docet adhibito Sarcasmo ipsorum minas & conatus aduersus Ecclesiam irritos esse. Ecquid vastitatem (inquit) quam nobis minatus es, reipsa intulisti? Ecquid ciuitates nostras radicitus extirpasti? quasi diceret, Ecce, longè falleris: ad nihilum reciderunt consilia & conatus tui. Nos gratia & beneficio Iehouæ è periculo & interitu recepti consistimus.

At illi ipsi, hostes scilicet Iehouæ funditus interierunt. v. 7.

2. *A subiecto regni & gubernationis diuinæ*. vers. 9. vbi monet exerceri à Iehoua imperium & potestatem in orbis vniuersi incolas & populos.

3. *Ab adiuncta qualitate administrationis, qua vtitur Iehoua. Eam Propheta longè iustissimam & æquissimam esse pro-*

nuntiat. vers. 9. Ac ne quis de administrationis, qua fungitur Iehoua, æquitate dubitet: vult in eo nobis satisfacere Psalmista, & omnem calumniandi ansam præcidere. Hæc igitur ab eo quæstio disceptatur:

Iehouæ administratio est iustissima & æquissima.

Quæstionis propositæ disceptatio duplici argumento perficitur: altero à partibus ducto iusti imperij & gubernationis: altero à iustæ administrationis effecto. A partibus iustæ administrationis singularem diuinæ administrationis æquitatem sic concludit:

Qui oportunè succurrit oppresso & in opprimentem animaduertit, illius administratione æquius nihil iustiusve esse potest.

At Iehoua is est, qui oportunè succurrit oppresso & in opprimentem animaduertit. vers. 10. Vbi etiamsi iustæ administrationis pars vna tantùm nominetur, ea nempe, quæ posita est in salute oppressis largienda: tamen & illam alteram, qua opprimenti pœna infligitur, per Synecdochen significari & comprehendi, æquum est vt existimemus. Ad assumptionis exornationem comparatur Iehoua cum arce edita seu propugnaculo.

Iehouæ igitur administratione nihil æquius iustiusve esse potest. vers. 9.

Ab effecto iustæ gubernationis ad illustrandam gloriam administrationis diuinæ sic disserit Propheta:

Si Iehouæ administratio non esset iusta, tribuens scilicet cuique quod ius est: nollent pij obseruata diuinæ administrationis æquitate, gratiæ & opis consequendæ causa tam intrepidè ac fidenter se ad Iehouam recipere.

At pij obseruata diuinæ administrationis æquitate, gratiæ & opis consequendæ causa, se intrepidè & fidenter ad Iehouam recipiunt. vers. 11. Vbi pij describuntur partim ex eo, quòd Iehouæ nomen agnoscant, id est, potentiam ipsius, sapientiam, iustitiam & misericordiam: partim ex eo, quòd Iehouam quærant, id est, ex vera fide inuocant.

Ergo Iehouæ administratio iusta est, tribuens scilicet cuique

quod

quod ius est. vers.9.

Assumptio Syllogismi habet confirmationem ab efficiente illius fiduciæ, qua instructi & muniti fideles ad Dominum confugiunt.

Pij obseruato diuinæ administrationis cursu deprehendunt gratiosè subueniri ijs à Domino qui ipsum inuocant. vers. 11. in fine.

Itaque pij obseruato diuinæ administrationis cursu, gratiæ & opis consequendæ causa se intrepidè & fidenter ad Iehouam recipiunt. vers. 11. in principio.

In celebratione diuini nominis quomodo se gesserit Propheta vidimus: sequitur iam cohortatio, qua alijs persuadere vult, vt Iehouæ gloriam vnâ cum ipso similiter prædicet.

Psallite (inquit) *Iehouæ qui habitat in Sion: annuntiate inter populos res gestas eius.* vers. 12,

Quòd Iehoua in Sion habitare dicatur, id habet hanc vim, vt inde doceamur partim de Iehouæ distinctione ab impiarum Gentium idolis, quibus nulla cum Sione intercedit communio; partim de Iehouæ erga eum quem elegit populum amore admirabili. Quid enim? Dum collocari domicilium suum in medio Israelitarum Iehoua vult, annon omnibus Israelitis consilij, gratiæ & subsidij sui copiam facit? nonne promptè ac familiariter adiri se ab ipsis velle profitetur? Quòd igitur Sionem sibi pro domicilio selegerit Iehoua, in eo sui erga Israelitas amoris summi non vulgare testimonium exhibuit. Quod ad Domini res gestas attinet, de quarum laude publicanda & illustranda agitur, dubium non est, quin id à Dauide intelligatur, quod à Domino ad salutem suorum gratiosissimè ad interitum improborum iustissimè gestum est.

Iam verò argumentum, quo alij ad istam in ornando Iehoua societatem inuitari debeant, est huius conclusionis:

Iehoua pro sua infinita bonitate pauperum afflictorum nunquam obliuiscitur, sed eorum memoriam sibi charissimam esse profitetur, & ostendit. vers. 13. in fine.

Ac proinde celebrate vnà mecum gloriam Iehouæ. vers. 12.

Enthymematis antecedens sic illustratur:

Iehoua

Iehoua eos ad pœnam depoſcit & rapit, quorum fraude ſanguis fidelium profunditur. verſ. 13. in principio. Vbi Propheta ait, Inquirere Iehouam de fuſo ſuorum ſanguine, ac ſi de perpetratæ cædis authore indagando, prehendendo, & ad ſupplicium rapiendo vehementiùs laboraret.

Iehoua igitur pauperum afflictorum nunquàm obliuiſcitur, ſed eorum memoriam ſibi chariſſimam eſſe oſtendit. verſ. 13. in fine.

Hactenus expoſita eſt gratiſſima illa agnitio liberationis & ſalutis, quæ Dauidi diuino beneficio contigit.

Supereſt Prophetæ ſupplicatio. Ad ſupplicandum acceſſiſſe Prophetam credibile eſt, eò quòd compertum haberet noua aduerſum ſe conſilia iniri, quibus fieret vt in dignitatis Regiæ & capitis diſcrimen vocaretur.

Supplicationis partes duæ ſunt:

1. *In priore petit vt ab imminenti periculo mortis liberetur.* verſ, 14. ad finem verſ. 19.
2. *In poſteriore contendit vt impij expugnentur & deleantur.* verſ. 20. ad Pſalmi finem.

Supplicatio, qua agit cum Iehoua de obtinenda liberatione ab imminente morte, eſt hijs comprehenſa verbis:

Gratiam fac mihi Iehoua: reſpice afflictionem illatam ab oſoribus meis: exalta me è portis mortis. verſ. 14.

De liberatione ab imminenti morte poſtulatum iſtud prioribus verſiculi membris generatim proponitur: deinde eiuſdem poſtrema clauſula ſpeciatim & diſertè. Precatur ſiquidem vt è portis mortis exaltetur. Portarum nomine tropicos interdum Scriptura vtitur ad notandam poteſtatem & authoritatem magiſtratuum in ciuitatum portis iuris dicūdi cauſa pro more recepto conſidentium. Siquis dixerit *portæ* vocabulo poſſe hìc etiam Metaphoricè poteſtatē quandam ſignificari, non repugnabo. Quo enim tempore in petitionis inſtitutæ negotio verſabatur Propheta, ita ſe ſeptum vndique & implicatum periculis cernebat, vt traditus ab hoſtibus in poteſtatem mortis videretur. Sed ſiue cancellis & poteſtate mortis concluſum Prophetam dicamus, vt ab ea

confeſtim

confestim iuguletur: siue in ipso vestibulo & aditu mortis constitisse, quasi in speluncam ipsius iamiam ingressurum: non vereor ne desciuisse à sensu Prophetæ iudicemur. Quid igitur vers. 14. tam sollicitè & tam vehementi animi studio petatur, obscurum non est. *Fac* (inquit) *gratiam mihi Iehoua.* Quam tandem gratiam? Certè suauissimam illam exoptatæ liberationis & salutis. *Respice afflictionem meam*: id est, noli deesse mihi coniecto in extremum discrimen: noli oculos à meo grauissimo casu auertere, vt solent ij qui nullo studio tenentur succurrendi afflictis: sed me sic intuere, vt inde mihi salutem obortam esse sentiant.

Verùm attendamus quo argumento suam ab imminenti morte liberationem persuadeat Propheta. Vt hanc tam excellentem liberationis gratiam consequi possit, commemorat finem, quamobrẽ de ea impetranda vsque adeo laboret.

Libera (inquit) *me ab imminenti morte, vt nomen tuum celebrare possim.* vers. 15, in principio.

Finis istius, quem sibi Dauid proponit accepto liberationis & salutis expetitæ beneficio, amplificatio multiplex subijcitur:

1. *A loco, vbi Iehouæ nomen celebraturus est: nempe in portis filiæ Sionis, id est, in loco vbi ad cultum Iehouæ obeundũ conuenitur. Is autem locus est vrbs Hierosolymitana: cui nomen filiæ Sionis ideo tribuitur, quòd esset vrbs illa & ciuium multitudo beneficio & vi diuinissimæ doctrinæ, quæ è Sione primum effloruit, spiritualiter generata.*
2. *Ab adiuncta forma & modo celebrandi Iehouam. Exultabo* (inquit) *in salute tua*: id est, per alacri & læto affectu in nominis tui prædicatione versabor propter concessam mihi abs te liberationem & salutem. vers. 15.
3. *A subiecto laudationis, quam ornare instituit.* Subiectum concionis, quam in promulganda Iehouæ gloria habiturus est, proponitur primò generatim ver. 15. hisce verbis: *vt enarrem vniuersam laudem tuam*: id est, insignes illas & æterna laude dignissimas actiones, quas te in rebus salutem meam & dignitatem Regiam spectantibus præstitisse video. Deinde speciatim, vers. 15. 16. 17.

16.17. Laudationis institutæ subiectum interpretatur, est autem illud tripartitum:

1. *Liberatio concessa Prophetæ.* vers. 15. in fine.
2. *Subuersio impiorum per illa ipsa consilia & machinationes, quibus interitum pijs afferre studebant.* vers. 16. & 17.
3. *Vaticinium de futuris Iehouæ iudicijs aduersus improbos.* vers. 18.

Quod ad liberationem attinet concessam Prophetæ à Iehoua, de ea sic loquitur: *Exultabo in salute tua:* id est, Liberatio illa à periculis, quam toties antehac beneficio tuo consecutus sum, erit argumentum orationis, qua in portis filiæ Sionis, id est, in cœtu populi tui ad illustrandam nominis tui gloriam vsurus sum.

Subuersio impiorum per illa ipsa media, quæ ab ipsis ad perniciem piorum comparata sunt, tractatur varie:

1. *Adhibita similitudine duplici, altera à venatore, ab aucupe altera. Vt enim ille in foueam, quam feris capiendis effodit, hic in tendiculas quas volucribus struxit, nonnunquam incidit: ita quæ insidiæ & fraudes ad pios intercipiendũ excogitatæ ab impio & adornatæ sunt, eisdem irretitus ipse concidit.* vers. 16.
2. *Notato euentu, qui intereuntibus impijs illa ipsa machinatione & fraude, quam pijs intendebant, existit. Is autem est quasi promulgatio quædam in celebritate & conuentu vniuersi orbis, esse scilicet Iehouam iudicem longe iustissimum & sapientissimum.* vers. 17. in principio.
3. *Interposita admonitione de fine & vsu, quem proponere nobis conuenit, siquando Iehouam ad huius generis iudicia exequendum accedentem obseruemus.* Higgaion Selah inquit Propheta: *quasi diceret: Ecce rem singulari animi affectu & summo studio meditandam. Vult igitur vt obseruatis iudicijs, quibus ipsi se conficiunt impij ac perimũt, Iehouæ iustitiam admiremur & prædicemus: vult vt ab ijs peccatis refugiamus, quorum perpetratio consimiles pœnas accersit.*

Vaticinium de futuris Iehouæ aduersus improbos iudicijs

eijs vers.8. exponitur, *Retroagentur* (inquit) *improbi in infernum: viz. omnes gentes oblitæ Dei.* Hoc versu impij, quos Psalmista ad inferos deturbatum iri prædicit, grauissimi criminis accusantur, vt qui memoria sui erga præpotentem Deum officij flagitiosè ac turpiter abiecta, se ad omne scelus & impietatem retulerint. Sed enim vaticinij propositi veritatem illustrat Propheta è comparatione parium:

Iehoua suo tempore afflictis fidelibus in ipsum spem omnem reponentibus succurret, & de optima conditione prouidebit. vers.19.

Impios igitur, quorum fraude & scelere fideles affliguntur, delebit & perdet. vers.18.

Supplicationis à Propheta institutæ pars prior hactenus exposita est: posterior sequitur, qua cum Domino agit de impijs excidendis & conterendis. Petitionis summa hæc est:

Surge Iehoua, & coram facie tua iudicium exequere contra impios. vers.20.

De surgendi vocabulo suprà Psal.3. diximus. Quo dum hoc versiculo Iehouam affatur, perinde est ac si in hanc sententiam verba faceret: *Noli Iehoua pati vt impij diutius abutantur patientia tua: para iam te ad eorum audaciam coercendam: & quasi citatos pro tribunali scelerumq́, grauissimorum conuictos supplicijs addicito.* Sed vrget Propheta vt iudicium aduersus impios Iehouà exequatur *coram facie sua*, id est, ipso decernente & latæ sententiæ executionem quasi inspectante. in quo perstringi à Propheta videmus hominum tribunalia: qui in ferendis iudicijs vel ignoratione causæ, vel partium studio, vel muneribus adducti peccant sæpissime: adeo vt qui luere debeant admissi flagitij pœnam, ij iudicũ iniquitate & vitio impunitatem plerunque consequantur.

Iam verò vt Iehoua persuadeat de exercendo aduersus impios iudicium: primò monet de euentu qui impunitatẽ consecuturus est: deinde de genere suppliciorum loquitur, quæ impijs infligenda censet.

E contemplatione grauissimi incommodi quod scelerum quibus se impij constrinxerunt, afferre impunitas possit, in hunc modum Propheta disserit:

Si

Si impios impunitos patiare, ij se & erga te insolentiùs & erga tuos crudelius gerent. vers. 20. *Surge* (inquit) *ne se roboret mortalis* : id est, ne impunitate proposita omnes impietatis & iniustitiæ rationes acriori studio & contentione persequatur is, quem è vilissimo puluere conflatum & natum ad dedecus & miserias minimè par est se Iehouæ cœli ac terræ Domino opponere.

Quapropter surge Iehoua, & iudicium contra improbos exequere coram facie tua. vers. 20.

Suppliciorum genera, quibus affici impium Propheta vult, duo sunt :

1. *Vt impij metu iudiciorum, quæ aduersus se exercentur à Iehoua, perculsi, totis artubus vehementiùs contremiscant.* vers. 21. in principio.
2. *Vt experti singularem vitæ ac conditionis suæ imbecillitatem, agnoscant esse se non Semideos, sed eos quos Iehoua miserijs & certissimæ morti exposuit. vers. 21. in fine. Vbi gentium nomine appellantur impij, ad notandum non modò ipsorum in communi vita insignem barbariem, sed etiam exclusionem è sacro fœdere, quod Iehouæ cum suis pro gratuita & infinita misericordia inire placuit.*

PSAL. X.

1 *QVare Iehoua absistis in longinquo? quare te occultas temporibus, quibus sumus in angustia?*

2 *Superbia sua improbus feruidè persequitur pauperem afflictum. Deprehendantur in cogitationibus quas comminiscuntur.*

3 *Nam gloriatur improbus super desiderio animæ suæ: & benedicit sibi quæstum facienti: contemnit Iehouam.*

4 *Improbus efferens narem suam non inquirit. Omnes eius cogitationes sunt, nullum esse Deum.*

5 *Prosperantur viæ eius omni tempore. Altissimè absunt iudicia tua à conspectu eius. In omnes inimicos suos sufflat.*

6 *Dicit in corde suo, non dimouebor vnquam: non ero in malo.*

7 *Execratione os eius plenum est, fraudibúsque & dolo. Sub lingua eius molestia & iniquitas.*

8 *Desidet in insidijs villarum: in latebris occidit innocentem? oculi eius in pauperem intenti sunt.*

9 *Insidiatur in abscondito, sicut Leo in spelunca sua: insidiatur ad rapiendum pauperem: rapit pauperem dum attrahit eum in rete suum.*

10 *Incuruat se, inclinat se: atque ita multitudo pauperum procidit intra vires eius.*

11 *Dicit in corde suo: Oblitus est Deus fortis: abscondit faciem suam: non respicit vnquam.*

12 *Surge Iehoua, Deus fortis attolle manum tuam: ne obliuiscaris pauperum.*

13 *Quamobrem contemnit Deum impius? Dicit in corde suo, Non requires.*

14 *Tu autem vides. Tu molestiam & vexationem intueris, ad reponendum in manus tuas. Tuæ fidei committit se pauper: pupilli tu es adiutor.*

15 *Frange brachium improbi & mali. Inquire in improbitatem eius, donec non inuenias amplius.*

16 *Iehoua rex sempiternus est. Perierunt gentes è terra ipsius.*

17 *Desiderium mansuetorum exaudiuisti Iehoua:*

ua: confirmas animum horum: aduertis aurē tuam:
18 *Vt iudices pupillum & attritum: vt mortalis*
è terra non pergat amplius violenter exagitare.

ANALYSIS PSAL. 10.

Quod Psalmo decimo explicatur à Dauide, haud aliud est quàm petitio in hanc sententiam concepta:

Perde impios ô Iehoua, & populum tuum libera.

Petitionis membrum prius de exitio impiorum proponitur ver. 2. in fin. & repetitur ver. 15. *Deprehendantur* (inquit, ver. 2.) *in cogitationibus quas comminiscuntur*: id est, quam fidelibus perniciem moliuntur impij, fac ô Domine vt in ipsorum capita recidat. Item, *Frange brachium improbi: inquire in improbitatem eius donec non inuenias amplius*, ver. 15: perinde ac si diceret, Adime improbo vim omnem & facultatem irruendi in tuos: adeo fractum & deiectum redde, vt ingenij & prudentiæ instrumento priuatus, ornamentis honorum spoliatus, orbatus præsidijs amicorum & omnibus opibus exutus iaceat. *Inquire in improbitatem eius, &c.* Iehoua inquirere dicitur in improbitatem sceleratorum, dum interrupto adhibitæ patientiæ cursu eos quasi pro tribunali citat & supplicijs affectos pessundat. Sed vult Propheta non solùm concidere improbos, sed iusto Dei iudicio eò redigi, vt eorum nullum vestigium, nullæ reliquiæ supersint. Atque hoc illud est quod vrgetur hisce verbis: *Donec non inueniantur amplius.*

Petitionis membrum posterius de fidelium liberatione continetur ver. 12. vbi à Domino contendit Propheta *vt surgat: vt manum suam attollat: vt pauperum afflictorum meminisse velit.* Surgit Iehoua, dum se vel ad succurrendum suis, vel ad vindicandum hominum perditorum impietatem & tyrannidem comparat. Tum etiam attollere manum suam & ecclesiæ suæ meminisse dicitur: cum nempe aut documentum misericordiæ in propugnatione suorum, aut exemplum iustitiæ in excidio improborum exhibet.

Agedum: petitionis exhibitæ tractationem videamus. Primum petitionis exornatio quedam præmittitur à com-

paratione dissimilium: sed proposita sub cuiusdam querelæ & expostulationis forma *Quid est* (inquit) *quòd te à nobis tanto loci interuallo disiunxeris? quid est quòd hisce nostris difficilimis temporibus te abdideris, ac si nullam populi tui rationem ducendam esse cenśuisses?* Huius querelæ seu expostulationis hæc vis, hæc mens est: viz. Continuisti te iamdiu ô Iehoua à ferenda ope ecclesiæ tuæ, & à plectendis impijs: At iam omni procrastinatione remota, & tuorum saluti pro summa misericordia prospice, & de impiorum interitu ad iustitiæ tuæ laudem cogita. Protasis allatæ dissimilitudinis similitudine duplici illustratur. Nam Iehoua liberationem suorum & improborum pœnas differens, comparatur & ei qui in remotiori loco consistens non accedit ad id officij præstandum, quo tenetur: & ei qui tanquam in latebris delitescens eo munere non fungitur, quo fungi par est. Sed dissimilitudinis protasi alia etiam adijcitur amplificatio ab adiuncto temporis: *Video* (inquit) *deesse te nobis etiã iam, cum in summo discrimine salus nostra versatur.* v. 1. in fin.

Sequitur supplicationis institutæ persuasio. Persuasionis argumentum primum est eiusmodi.

Arg. 1. *Improbus tuos acerrimè persequitur.* vers. 2. in princip. Hanc sententiam amplificat Propheta ab efficiente causa, dum ait id fieri ab improbo è cordis sui superbia.

Quapropter noli Iehoua diutius differre, aut improborum exitium, aut liberationem tuorum. ver. 2. 12. 15.

Conclusioni huic implicauit Propheta, & intexuit exornationem ab intermedijs & instrumentalibus causis illius exitij, in quod conijci vult improbum. Deprehendatur (inquit) & intereat: sed quibus tandem medijs? certè ijs ipsis consilijs & machinationibus, quibus ad piorum internecionem callidè excogitatis vti instituit. Ver. 2.

Pergit in propositæ supplicationis suasione Propheta. Vt Dominum ad præstandam misericordiam alliciat, & odio impiorum vehementius incendat, eorum luculenta descriptione facta in hunc modum loquitur:

Arg. 2. *Impius gloriatur de fœlici successu cogitationum & consiliorum suorum: contemnit te ô Iehoua: & tuos crudeli-*

ter opprimit. A princip.v.3. ad finem v.11.

Itaque perde impios istos, & salutem largire populo tuo. Ver. 2. 12. 15.

Descriptionis antecedente enthymematis comprehensæ membra sunt tria: nempe superbia impiorum in gloriando: blasphemia in Iehoua contemnendo: crudelitas in Dei populo opprimendo.

Superba illa qua vtuntur gloriatio, explicatur notato subiecto de quo gloriantur. Id autem bipartitum est. Nam gloriantur partim de fruitione voluptatum suarum, partim de emolumentorum & commodorum adeptione. Vers. 3. in princip & medio.

Gloriatio de eo, quòd ita facilè & liberè voluptatibus suis potiantur, hisce verbis exprimitur: *Gloriatur impius super desiderio animæ suæ:* id est, quòd sibi in susceptis consilijs explendarum cupiditatum suarum tam fœliciter euenerit.

Gloriatio de opum & facultatum expedita & minimè interrupta adeptione, comprehenditur illa clausula: *benedicit sibi quæstum facienti:* id est, de se magnificè sentit vitæque suæ conditionem beatam esse prædicat, eò quòd in augenda re familiari, & opibus cumulandis omnia sibi ad voluntatem fluant.

Descriptionis membrum secundum de insigni blasphemia & contumelia, qua Iehouam afficiunt impij, dum ipsum contemnunt, est in versiculi tertij postrema clausula comprehensum.

Contemni Iehouam ab impio Propheta docet:

Progreditur (inquit) *in rebus gerendis impius nulla adhibita contemplatione Dei vel hominis.* Vers. 4 in princip. vbi sic loquitur Psalmista: *impius non inquirit*: id est, ei neutiquam curæ est sintne deliberationes actionesque suæ licitæ an illicitæ: sed seposito diuini iudicij metu, & quasi indicto bello legum institutis, id vnum intuetur, quomodo ea consequi posit, quæ suis rationibus videntur aptissima.

Itaque Iehouam contemnit impius. Ver. 3. in fin.

Ad antecedentis illustrationem causæ exponuntur, quibus

bus adductus impius ita se gerat perditè & insolenter, absque omni scilicet intuitu legis & conscientiæ, pœnæ ac præmij Causæ eiusmodi sunt:

1. *Arrogantia & fastus insignis. Inflatum fastu egregio improbum esse, ex eo ostendit Propheta, dum ait eum nares efferre suas. Nam attollendis naribus, id est, frontis, oculorum, & totius vultus conformatione, quam in intimis sensibus complicatam habet, superbiam explicat & prodit.* Ver. 4.

2. *Persuasio quædam, qua ipse sibi strenuè illudit, non esse scilicet Deum, qui velit ab ipso rationem actæ vitæ reposcere.* V. 4. in fin.

3. *Fœlix ille, qui obtingit impio, consiliorum & actionum susceptarum euentus.* V. 5. in princ.

4. *Opinio nescio quæ, vtcunque Iehoua aliquis fuerit qui homines ad reddendam rationem possit cogere, se tamen ita septum ac munitum esse, ita supra omnem mortalitatem esse collocatum, ita* (inquam) *immuni ab omni periculo, & beata conditione vti, vt percelli diuinis iudicijs aut obrui nequeat.* V. 5. in medio.

5. *Animi apprehensio quædam, posse se vel leuissimo oris flatu aduersarios suos conficere, & ad nihilum redigere.* Ver. 5. in fin.

6. *Persuasio de perpetuitate illius beatæ conditionis, quam ipse sibi opinionis errore fingit.* Ver. 6.

Descriptionis institutæ membrum tertium superest, de rabie nimirum & tyrannide impiorum. Hanc duplicem facit Propheta alteram orationis, alteram facti.

Crudelitas, quam voce & oratione præstant, notatur versiculi septimi postrema clausula: *sub lingua eius* (inquit) *molestia & iniquitas*: id est, in conferendis sermonibus id sibi vnum proponit impius, vt alijs negotium facessat eosque inferendis iniurijs nefariè violet.

Conatus iste alios linguæ procacitate ac rabie violandi, tractatur explicatione mediorum, quibus ad finem propositum deuenitur. Media illa continentur externa professione beneuolæ & æquissimæ voluntatis erga eos, quibus impij pessimè volunt. Professionis huius, quam adhibet

impius, vt ea intercedente alijs perniciem afferre possit, duas partes statuit Propheta: quarum altera est

Horrenda imprecatio pœnæ per ipsum subeundæ, si fortè de iniuria afferenda cogitet. ver 7. in principio. *Os* (inquit) *eius est exsecratione plenum*: id est, interposita exsecratione profitetur se nullam pœnam recusaturum, si quando constiterit periculi quid intendi à se.

Oratio plenissima humanitatis & officij. Hanc orationem, quæ est ad speciem sic distincta insignibus beneuolentiæ & amaris, appellat Propheta fraudis & doli nomine, vers 7. in medio.

Crudelitas facti, qua contra pios vtuntur impij, exponitur ver. 8. 9. 10. Hisce versiculis demonstrat Propheta omni studio & conatu incumbere impios, vt pijs interitum afferant. Eorum singularis furor & rabies describitur.

1. *Ab adiuncto modo quo immanitatem exercent suam. Siquidem ad eam accedunt.*
   1. *Occultè & ex insidijs.* ver. 8.
   2. *Sub simulatione officij & obseruantiæ.* ver. 10. vbi reuerenter se & officiose gerere dicuntur, dum se incuruant & inclinant.
   3. *Summa vigilantia & studio, dum nullum tempus prætermittunt rei perficiundæ.* ver. 8. in fine, vbi eorum oculi dicuntur esse in pauperem intenti, id est animo & cogitatione assiduè excubantes ad interitum pauperis.
2. *A comparatione similium. Nam impij isti, qui clam & tectè exitium alijs machinantur, similes sunt:*
   Latronibus: qui in latebras coniecti viatores ex insidijs intercipiunt. vers 8.
   Leoni: qui in spelunca delitescens prædæ corripiendæ oportunitatem præstolatur. vers. 9.
   Aucupi: qui auicula irretiendæ causa rete suum callidè & latenter tendit. ver. 9. in fine.
3. *A subiecto crudelitatis. Docet Propheta exerceri eam non in pauculos, sed in piorum multitudinem.* vers. 10.

Expositis descriptionis institutæ tribus illis membris, de impiorum scilicet superbia in gloriando de sese, singulari

ſcelere in contemnendo Iehoua,& crudelitate in populum Dei: ſubijcitur a Propheta verſ.11. huius tam horrendæ & inauditæ impietatis illuſtratio quædam ab efficiente cauſa. Ea autem eſt perſuaſio eiuſmodi, A Deo ſcilicet res humanas non adminiſtrari. Atque hoc illud eſt, quod vult Propheta,dum impium ſic corde ſuo loquentem facit: *Oblitus eſt Deus fortis: abſcondit faciem ſuam: non reſpicit vnquam.* Nam cui res è memoria excidit, is ad eam ſuſcipiendam aut tractandam non aggreditur.Sic etiam qui à re intuenda auertit oculos,eo ipſo ſignificat,eam negligi à ſe & aliorum arbitrio exponi. Cum igitur Iehouam huiuſmodi ſibi opinione ſua impius finxerit, quem putet aut non poſſe aut nolle rebus humanis moderandis præeſſe: mirum videri non debet, ſi ipſe ſeſe efferat inſolentiùs, ſi Iehouam grauiter contemnat, ſi in alios audacter & immaniter incurrat.

Hactenus de impiorum deſcriptione. Videamus iam quæ ſuperſint ad perſequendam ſupplicationem argumenta.Verſu decimo tertio in hunc modum cauſam ſuam dicit apud Iehouam Propheta:

Si impios non perdideris nec populum tuum liberaueris, impij progredientur in curſu ſui aduerſum te contemptus ac blaſphemiæ.

At vero vt impij permittantur in curſu cœpto tam deteſtandæ & profligatæ nequitiæ progredi,non poteſt quin faciat ad gloriam nominis tui minuendam. verſ.13. *Quamobrem* (inquit) *contemnit Deum impius?* id eſt,vide quam tibi minimè glorioſum futurum ſit pati te diutius contemni ab impijs.

Itaque impios perde & populum tuum libera. verſ.12.

Hoc loco Propheta, ne aut ſilentio ſuo perditæ illi opinioni quam de Iehoua conceperint impij ſuffragari videatur,aut non ſatis ardenti ſtudio in Domini negotio verſari, non alienum eſſe cenſuit, ſi digreſſione facta ſe ad impiorum blaſphemiam, qua Iehouæ nomen violare ſtudent, refellendam contulerit. Quæſtionis controuerſæ ſumma hæc eſt:

Vtrum hominum actiones obſeruentur à Deo, & in iudi-

cium vocentur.

Negant impij Deo curæ esse res humanas: negant eum reposcere ab hominibus rationem traductæ vitæ. *Dicunt in corde suo* (vt est vers. 13. apud Prophetam) *Non requires:* id est, vtcunque se in communi vitæ ratione homines gesserint, tu ô Iehoua non attendis: licebit per te id moliri & sequi, quod cuique commodissimum videbitur.

Propheta contrà ad conuellendum istud tam insanæ & sacrilegæ opinionis commentum, contendit humanarum rerum moderationem Deo curæ esse: & deduci ab eo sub examen iudicij hominum actiones. Hinc est quòd vers. 14. sic loquatur: *Tu autem vides:* id est, tu, ô Domine, in hominum singulorum singulas actiones intueris & inquiris: tu de ijs id statuis, quod gloriæ tuæ maximè seruire posse videatur. Sed ne fingi ista potiùs quàm ad rei veritatem aptè dici putentur: ad asserendam diuinæ prouidentiæ gloriam Dauidem disserentem audiamus.

Si (inquit) *in hominum actiones non inquireres, nec eas sub examen reuocares: minimè tu quidem animaduerteres in improbum propter illatas pijs iniurias: neque ad te pij confugerent vt contra impios protegantur.*

At animaduertis tu quidem Iehoua in improbos ob illatas pijs iniurias: & pij omnes opis aduersus improbos obtinendæ causa ad te confugiunt. ver. 14. in medio & fine.

Itaque tu inquiris in hominum actiones easq́; sub examen reuocas. vers 14. in principio.

Assumptionis membrum prius hisce verbis comprehenditur: *tu molestiam & vexationem intueris, ad reponendum in manus tuas*: id est, tu accuratè cognoscis & inquiris de iniurijs ijs quæ populo tuo inferuntur, eas vt vlcisci & vindicare queas.

Assumptionis membrum posterius de piorum fiducia reposita in Deum, habet hanc ab efficiente amplificationem:

Tu opem tuis expeditè fers. vers. 14. in fine.

Itaque tui ad te semper confugiunt. vers. 14 in medio.

Hucusque est Prophetę digressio & apologia ad asserendam prouidentiæ diuinæ gloriam. Redit iam ad perorandam

dam ſuſceptæ petitionis cauſam. Peroratio eiuſmodi eſt:

Si tu muneris tui regij & iudicialis executionem nunquam intermittendam eſſe cenſes: peto abs te vt iam munus illud in perdendis improbis & tuis ſeruandis exequare.

At tu, ô Iehoua, muneris tui regij & iudicialis executionem nunquam intermittendam eſſe cenſes. verſ. 16. in principio. *Iehoua* (inquit Dauid) *rex ſempiternus eſt:* id eſt, ſemper actu ac reipſa officium præſtat regis & iudicis iuſtiſsimi.

Itaque peto abs te vt iam munus illud tuum in perdendis improbis, & tuis ſeruandis exequare. ver. 12. & 15.

Aſſumptio eſt in hunc modum amplificata:

Tu, ô Iehoua, ſemper & ex iuſta ira improbos perdidiſti, & pro ſingulari miſericordia tuorum deſiderijs ſatisfeciſti, & eorum fiduciam confirmaſti. ver. 16. in fine. & v. 17.

Itaque muneris tui regij & iudicialis executionem nunquam intermittendam eſſe cenſuiſti. ver 16 in princ.

Antecedenti enthymematis exornatio ſubijcitur à duplici fine, quem ſibi Dominus in hijs ſuis, quæ hominem ſpectant, actionibus proponit. Etenim vult Dominus vt iſto prouidentiæ ſuæ curſu

1. *Succurratur infirmioribus & oppreſſis.* verſ. 18 in princ.
2. *Impijs intercipiatur & præcidatur tempus ſæuiendi aduerſus Eccleſiam.* verſ. 18. in fine. Vult igitur Dominus ali in terris & conſeruari Eccleſiam, vt ſemper eſſe poſsit cœtus hominum, à quibus colatur ipſius nomen & celebretur.

PSAL. XI.

1 *MAgiſtro ſymphoniæ ode Dauidis. In Iehoua confido: quomodo dicitis animæ meæ, migra in montem veſtrum ſicut auis?*

2 *Ecce: certè impij adducunt arcum: aptant ſagittam ſuam neruo, ad iaculandum in caligine con-*

tra rectos corde.

3 *Cum fundamenta destruantur, quid faciet iustus?*

4 *Iehoua est in templo sanctitatis suæ: Iehoua solium suum habet in cœlis: oculi eius vident: palpebræ eius explorant filios hominum.*

5 *Iehoua iustum probat: improbum verò & amantem violentiæ odit animus ipsius.*

6 *Depluet super improbos prunas, ignem & sulphur: ventusq; procellosissimus portio calicis eorum erit.*

7 *Nam iustus Iehoua quæ iusta sunt diligit: rectum aspicit vultus ipsius.*

ANALYSIS PSAL. XI.

Psalmus hic refutationem complectitur suasionis cuiusdam, qua vtebantur nonnulli ad Dauidi persuadendum de spe omni promissæ regiæ dignitatis abijcienda, & relictis dulcissimæ patriæ finibus, de perpetuæ relegationis cursu persequendo. Hinc est quòd aduersus huius suasionis & sententiæ authores hanc quæstionem disputandam susceperit: viz.

Nihil subesse causæ quamobrem abiecta spe promissi regni consequendi sese absque mora in perpetuum exilium reciperet.

Quæstio ista versiculi primi posteriori clausula comprehenditur. *Quomodo* (inquit) *dicitis animæ meæ, auola in montem vestrum sicut auicula?* Perinde est ac si cum illis, qui hanc fugam persuadent, hisce verbis expostularet Propheta: *Quid est quod tam inconsideratè loquamini? Vultisne vt titulo regni Israelitici, quem in me Iehoua contulit, renuntiem? Vultisne vt abiecta spe promissi sceptri consequendi aufugiam è patria, ac quanta possum festinatione me perpetuo exilio addicam? At ego nihil causæ subesse video, quamobrem in eo vestris monitis obtemperem: præsertim cum non dubitem quin Iehoua promissum*

promissum suum præstare mihi & possit & velit. Ac ne temere ad suadendum accessisse videantur, exponunt adhibitæ suasionis & consilij argumenta, ea scilicet quæ à Propheta ver. 2. & 3. referuntur.

Sed quid affert contra suasionem istam Propheta? Primùm allata ratione eam inanem & nullius ponderis esse conuincit: Deinde argumentis, quibus nititur, respondet.

Infirmam esse & minime audiendam huiusmodi suasionem docet Propheta isto enthymemate:

Ego fretus Iehouæ promissis de tradendo mihi sceptro reipublicæ Israeliticæ, ab eo totus pendeo & confidenter attendo promissam in regio solio successionem. ver. 1. in med.

Nihil igitur causæ subest quamobrem desperatione quadam regni promissi consequendi, me absque mora in perpetuum exilium reciperem. vers. 1 in fine. Vbi fugere instar auiculæ est summa pernicitate in fugiendo vti. Et fugere in montem idem est quod in aliquem tutum exilij locum secedere.

Propositi enthymematis consequentia admodum firma est, vt quæ à promissionis diuinæ veritate & certissimo euentu tota pendeat.

Suasione ista conuicta iam vanitatis, parat se Propheta ad argumenta diluendum, quibus ornare eam & munire voluerunt. Suasionis argumenta ver. 2 & 3. proposita, à præclaris illis Monitoribus ad persuadendum Dauidi de fuga & exilio sic concluduntur:

Inimici tui paratis omnibus stant quasi in procinctu ad te perdendum: ac fieri nequit, vt in hac tanta cùm subsidiorum ac facultatum destitutione tua, tum rerum omnium perturbatione, te incolumem conserues & sceptro Israeliticæ reipublicæ potiaris. vers. 2. & 3.

Ac proinde tibi egregiè consules si titulo promissi regni renuntiaueris, teq; in tutum aliquem & perpetuo exilio opportunum locum confestim retuleris.

Antecedentis prius membrum de imminenti periculo, cui Prophetam obiectum esse vociferantur, versu secundo proponitur illustratum comparatione similium ducta à sagittarijs. Membrum posterius est tertio versiculo com-

comprehensum. *Cum fundamenta* (inquit) *destruantur, quid faciet iustus?* Perinde est ac si in hunc modū cū Dauide dissererent: Vides orbari te ac planè destitui ijs subsidijs & adiumentis, quibus tanquam firmissimis fundamentis spes tua promissi regni consequendi tota nitebatur: vides fundamenta reipublicæ Israeliticæ, legum scilicet vim & diuinæ religionis cultum, conuulsa prorsus esse & diruta. Cum igitur fundamenta ista, quibus tantopere confidere videbare, funditus labefactata conciderint: quam potes rationem inire expediendæ salutis tuæ, & regno Israelitico potiundi? frustra in istis rerum & priuatarum angustijs, & publicarum vastitate ac clade laborem omnem & cogitationem de regno susceperis. Clausula illa (*quid faciet iustus?*) est per synecdochen generis de Dauide intelligēda: ac si diceretur: Quid potest in tam perdita rerum omnium conditione moliri Dauid & efficere?

Videmus quibus isti argumentis freti, authores Dauidi sunt vt desperatione regij diadematis, se ad perpetui exilij pœnam subeundam comparet.

Videamus iam quomodo allatis argumentis respondeat Propheta. Quod ad propositi enthymematis antecedentem attinet: minimè quidem illam negat Propheta, sed deductæ inde consequentiæ reclamat, vt è consequentiæ refutatione in locum negatæ consequentiæ substituta constat. Allatæ consequentiæ refutatio conclusa sic est:

Si Iehoua de cuiusque operibus particulatim cognoscens tributurus est vnicuique id quod suum est & ius: tum, vtcunque mihi ab hostibus immineat capitis periculum, & in summa rerum omnium inopia verser, nihil tamen causæ subest, quamobrem promissi regni titulo renunciem, meq; perpetuo exilio addicam.

At Iehoua de cuiusque operibus particulatim cognoscens tributurus est vnicuique id quod suum est & iustum. ver. 4.

Itaque, vtcunque mihi ab aduersarijs periculum capitis immineat verserq; in summa rerum omnium inopia, nihil tamen causæ subest quamobrem promissi regni titulo renuntiem, meq; perpetuo exilio addicam. ver. 1. in fine.

Propositio omissa est: sed ad iudicium nostrum informandum

mandum, supplendam iudicaui. Aduersus propositionis consequentiam nihil occurrit exceptionis, si è generis vniuersi affirmatione speciem rectè inferri concedamus.

Assumptionis sententia est in quartum inclusa versiculum. In versiculi membro priori dicitur Iehouam esse in palatio sanctitatis suæ, & habere solium in cœlis: id est, Iehouam summa maiestate imperij ornatum fungi officio inter omnes terræ incolas summi regis & iudicis. Non ascendit in solium suum vt se magnificè ostentet, sed vt ex eo ius dicat vniuersis. In posteriori parte eiusdem versiculi, Iehouæ totius orbis iudici ac regi iustissimo facultas de cuiusque operibus & meritis cognoscendi attribuitur. Nihil tam reconditum est aut tantis obtectum inuolucris, quod sub aciem oculorum ipsius non cadat. Immo intimas cordis latebras & recessus habet ille quidem exploratissimos.

Verum enimuero Assumptio, quæ de Iehoua vnicuique ius tribuente loquitur, in hunc modum confirmatur:

Iehoua in iuris distributione iusto distribuit gratiam & gratiæ suæ testimonia: impio autem odium & odij sui illustria argumenta.

Itaque singulis distribuit id quod æquum est & ius.

Syllogismi antecedens duas partes complectitur: quarum altera est de homine iusto, vers. 5 & 7. altera de impio, vers. 5. & 6.

Quod ad iustum attinet, dicitur ver. 5. probari eum à Iehoua, id est, gratiam & amorem à Iehoua in ipsum conferri. Hanc interpretationem sequi par est, vt oppositionis inter prius & posterius versiculi quinti membrum analogia retineatur. Iam conferre Iehouam testimonia gratiæ suæ in hominem iustum docetur septimi versus postrema clausula. *Rectum* (inquit) *aspicit vultus ipsius:* id est, eos qui integritati operam dant ac quæ recta sunt sequuntur, singularibus gratiæ suæ beneficijs prosequitur, conferens in ipsos, & ea quæ ad futuræ vitæ gloriam faciunt, & ea quæ ad præsentis rationem commodissimè valent. Ac ne quis de diuinæ erga iustos beneuolentiæ testimonijs ambigere possit, in hanc sententiam disserit Propheta:

Iustus Iehoua diligit iustos. v. 7. in prin. Vbi dicitur Deus diligere

gere iustitias, id est, per metonymiam adiuncti pro subiecto, homines iustos.

Itaque amoris sui & gratiæ testimonijs prosequitur iustos. vers. 7. in fine.

Antecedentis prior pars de homine iusto, seu de Iehouæ erga eum gratia & gratiæ testimonijs, quomodo à Psalmista tractetur videmus.

Antecedentis posterior pars de impio, seu de Iehouæ erga impium odio & odij illustribus argumentis, sequitur, explicata vers. 5 & 6. Iehouæ in impios odium acerrimum versu quinto proponitur: huius odij luculenta demonstratio versu sexto comprehenditur: vbi sub triplici similitudine comparantur pœnæ, quas Iehoua impijs infligit tanquam insignia quædam odij sui argumenta, primò candentibus prunis: deinde sulphuri: postremò turbini violentissimo & concitatissimo.

PSAL. XII.

1 *Magistro symphoniæ ad cantandum super*
Sheminith Psalmus Danidis.

2 *Da salutem Iehoua: nam desijt beneficus: nam*
defecerunt veraces ex filijs hominum.

3 *Fallaciam loquitur quisque cum socio suo, la-*
bijs blanditiarum: & duplici corde loquuntur.

4 *Excindat Iehoua omnia labia blanditiarum,*
& linguam loquentem magnifica.

5 *Quia dicunt, Lingua nostra prænalebimus:*
labia nostra penes nos sunt: quis dominus nobis?

6 *Propter vastationem afflictorum, propter ex-*
clamationem egentium, iam exsurgam, dicit Ieho-
na: locabo in salute illum, cui laquei tenduntur.

7 *Dicta Iehouæ dicta pura sunt: argentum pur-*
gatum

gatum in catino lectissimo terræ, defæcatum septies.

8 *Tu Iehoua seruato eos: seruato eorum quemque à generatione ista in seculum.*

9 *Circumquaque impij obambulant: dum exaltantur vilitates inter filios hominum.*

ANALYSIS PSAL. XII.

Cum in Psalmi inscriptione occurrat nihil, quod non supra expositum sit, de quæstione Psalmo explicata inquiramus. Eam autem esse postulatum istud deprehendemus:

Suscipe, ô Domine, tuorum defensionem aduersus impios. ver. 2. & 8.

Dauidi solenne id fuit ac in more positum, vt quotiescunque periclitari se de capite, aut regia dignitate & nominis existimatione videret, ilico de ope Domini imploranda cogitaret. Hinc est quòd virulentis calumnijs, quibus eum asseclæ regij, gratiæ apud Saulem ineundæ causa, quotidie prosciderunt, vehementer commotus ad oden hanc texendam incubuerit: in qua magnopere contendit, vt Iehoua non patiatur proculcari suos ab impiis, sed ipsorum saluti consulat & defensionem suscipiat. Vt valere apud Iehouam in propositæ petitionis negotio possit, triplici argumento vtitur. Primum eiusmodi est:

Arg. 1. *Tam incredibilis est hominum iustorum paucitas, vt ab ijs nihil opis expectandum sit aduersus impios.* vers. 2. Vbi est iustorum descriptio ex adiunctis. Sunt enim benefici, id est, ad benignè aliis succurrendum paratissimæ voluntatis: & sunt insuper veraces, id est, veritatis enuntiandæ & fidei in dictis factisque conseruandæ studiosissimi.

Itaque tuorum ô Domine defensionem suscipe aduersus impios. vers. 2. & 8.

Enthymematis antecedenti subiicitur illustratio in hunc modum conclusa:

Si non esset incredibilis iustorum paucitas, essent aliqui quorum oratio aliena est ab omni fraude & blanditiarum artificijs.

At

At nulli sunt quorum oratio aliena est à fraude & blanditiarum artificijs. ver. 3. Vbi Assumptionis istius exornatio est è notata efficiente ac quasi fonte omnis perfidiæ & fraudis, quæ adulationis artificio & honesti simulatione continetur. Fons ille, de quo loquor, est cor duplex, varium & astutũ, aliud scilicet cogitans, aliud linguæ ad enuntiandum tradens.

Itaque est incredibilis iustorum paucitas. vers. 2.

Sed hoc loco se Propheta sustinet, persequendæ supplicationis paulisper interrupto cursu. Nam zelo quodam abreptus saluti piorum prospiciendi, & odio accensus profligatissimæ impietatis, quæ in aula regia sese efferre insolentius & passim grassari cœpit, imprecationem quandam grauissimam interserit. Imprecationis subiectum est optatum quoddam de improborum excidio. *Excindat* (inquit) *Iehoua omnia labia blanditiarum & linguam magnifica loquentem:* id est, perditos hosce & nefarios calumniatores è medio tollat: quorum oratio est vndiquaque aspersa blanditijs, & tam arrogantibus instructa sententijs, vt singularem fastum, magnificas comminationes, & Dei hominumq́ue incredibilem contemptum spiret ac præ se ferat.

Imprecatio ista habet expolitionem à simili: deinde ab efficiente. Similitudo includitur metaphorâ illa excidij. Siquidem credibile est comparari impiorum excidium cum amputatione sarmenti infrugiferi & noxij, vel putrefacti & nocituri membri.

Efficiens imprecationis, id est, causa qua impulsus Propheta ad imprecandum flagitiosissimis calumniatoribus excidium asserit, notatur ver. 5. sycophantarum effectus illis: è quibus sic conclusa est imprecatio.

Sycophantæ isti superbè iactitant se linguæ suæ facultate quidlibet effecturos esse contra Dauidem cæterosq; Iehouæ seruos. vers. 5 in principio.

Itaque excindantur à Iehoua sycophantæ isti. vers. 4.

Esse in calumniatoribus hisce summam nocendi voluntatem dubium non est. Sed de ipsorum facultate qualis sit quæritur. Vt igitur constet posse calumniatores istos id omne assequi quod velint, sic ad propositi enthymematis ante-

antecedentem illustrandam disserunt:

Penes nos est, rerum scilicet moderatores et dominos, id omne dicere & statuere quod volumus. vers. 5. in medio & fine.

Itaque linguæ nostræ facultate quidlibet effecturi sumus contra Dauidem aliosq; eiusdem notæ homines. vers. 5. in principio.

Sed ab imprecatione, ad quam zelo quodam diuinæ gloriæ digressus est Propheta, reuocat iam ipse se, & institutam supplicationem persequitur tali syllogismo:

Arg. 2. *Si populo tuo oppresso ab impijs & de salute sua periclitanti liberationem promiseris, ac si fueris insuper in fide seruanda iustissimus: suscipe quæso populi tui defensionem aduersus impios à quibus opprimitur.*

At populo tuo oppresso ab impijs & de salute sua periclitanti liberationem promisisti: atque es insuper in fide seruanda iustissimus. ver 6. & 7.

Itaque suscipe quæso populi tui defensionem aduersus impios, à quibus opprimitur. vers 2. & 8.

Assumptionis pars prior de liberationis & auxilij promissione est versiculo sexto explicata. Vbi amplificatur promissio illa primùm ab efficiente causa, qua inductus Iehoua ad salutem populo suo ab hostibus oppresso promittendam accesserit: deinde ab adiuncta temporis circumstantia. Quod ad causam efficientem attinet, est illa quidem posita in vastatione & gemitu oppressorum. Hunc exaudit Iehoua, & in illam intuens exurgit, id est, se ad liberandum oppressos, & ad coercenda grauissimis pœnis maleficia improborum comparat.

Adiuncta temporis circumstantia exponitur cum se *iam surrecturum* ad suis succurrendum profiteatur Iehoua: id est, tempore iam maturo & saluti afflictis præstandæ admodum oportuno.

Assumptionis membrum posterius de promissionis diuinæ excellenti & certissima veritate est. vers. 7. Similium comparatione illustratum. Comparationis apodosis est prima parte versiculi septimi: protasis reliqua. Integra comparatio suis partibus distincta sic est:

Qualis

Qualis est in argento excocto sæpius & defæcato puritas ac soliditas:

Talis est firmitas & perfectio in promissione diuina: vtpote quæ nihil adulterini aut fucati habeat, sed libera sit ab omni admistione simulationis, & minimè inquinata sordibus fallacis & incerti euentus.

Versu octauo monuimus comprehendi institutam petitionem, vbi generationis nomine intelligere par est cohortem illam sycophantarum & nepotum perditorum de quibus conquestus est Dauid, & aduersus quos opem Iehouæ implorat, vt nimirum & ipse & cæteri fideles seruentur in perpetuum, id est, quotiescunque in discrimen vocentur fraude & scelere improborum.

Superest iam postremum supplicationis propositæ argumentum conclusum sic:

Arg. 3. *Impij passim debacchantur & sæuiunt aduersus fideles.* vers. 9. in principio.

Itaque suscipe ô Iehoua fidelium defensionem. vers. 8.

Ad confirmandam enthymematis antecedentem in hanc formam ratiocinatur Propheta:

Homines ad omnem turpitudinem proiecti & quibus nihil infensius esse potest quàm pietatis & iustitiæ studium, ad excelsam in Israelitica republica dignitatis & imperij sedem euehuntur. ver. 9. in fine.

Itaque impij passim debacchantur ac sæuiunt aduersus fideles. ver. 9. in principio.

PSAL. XIII.

1 *MAgistro symphoniæ Psalmus Dauidis.*
2 *Quousque Iehoua? obliuisceris mei in æternum? quousque abscondes faciem tuam à me?*
3 *Quousque repositurus sum consilia in animo meo, & mœrorem in corde meo de die? quousque attollet se inimicus meus contra me?*

4 *Intuere, exaudi me Iehoua Deus mi: illustra oculos meos, vt non dormiam dormitionem mortis.*
5 *Vt non dicat inimicus meus, Praeualui ei: & ne hostes mei exultent, cum cecidero.*
6 *Ego quidem in benignitate tua fiduciam habeo: exultabit cor meum in salute tua: cantabo Iehouæ, quia bono me affecit.*

ANALYSIS PSAL. 13.

Dauid animaduersa hostium suorum incredibili malitia & magnitudine periculi capiti suo ab ipsis intentati, ad Dominum confugit, ac è tantis malis liberationem petit. Petitionem Domino exhibitam complexus est hoc Psalmo.

Exhibitæ igitur petitionis subiectum est huiusmodi:

Libera me ô Domine à præsentibus quibus affligor malis. vers. 4.

Ad exprimendam propositæ supplicationis sententiam vtitur Propheta varijs loquendi formulis. *Intuere me* (inquit) *exaudi me Iehoua, & illustra oculos meos.* Perinde est ac si hisce verbis Iehouam affaretur: *Non te fugit Iehoua, quantum capiti meo immineat periculi: Vides obrui me infinitis calumnijs: non ignoras quàm insigni odio prosequantur me hostes mei, & quanto studio incumbant ad perniciem meam. Quapropter intuere me ô Domine, id est, commiseratione adductus conditionis meæ incredibiliter afflictæ, mihi succurre: exaudi me,* id est, *obiectum me grauissimis periculis & confugientem ad te sic exaudi, vt ope tua ab eisdem continuò liberer: illustra oculos meos,* id est, *præsentis mali tenebras, quibus vitæ meæ lux propemodum obruitur, redditæ salutis & liberationis lumine dissipato.*

Sed quibus argumentis cõtendit à Iehoua, vt incolumis à calamitate imminentis periculi seruetur? Si argumentorũ numerum spectes, causam suam apud Dominum copiose dicit: si vim, admodum neruose. Vt valere possit, septuplici ratione pugnat. Prima tali enthymemate concluditur:

Arg. 1. *Multum iam temporis effluxit, ex quo de vita & statu omni periclitor.* vers. 2.

Itaque iam fac mihi gratiam Iehoua, meq́; à grauissimis quibus premor malis libera. vers. 4.

Quod ad antecedentem attinet, est illa quidem minimè obscurè comprehensa expostulatione & querela, qua ob opis diuinæ dilationem vtitur Propheta. *Quousque* (inquit) *patiere me istis angustijs constrictum teneri? quantum temporis antę elabi vis, quàm me ex periculis eripias? ecquid placet serui tui in æternum obliuisci?* Perinde est ac si diceret: *Non parum temporis intercessit, ex quo in capitis discrimine & omnium fortunarum versor. Valeat apud te ratio longinqui spatij, quo miserrimè torqueor & contabesco. Cum iamdiu hostium tyrannidi & insidijs obijciar, noli obsecro diutius te ab ope mihi ferenda continere.*

Verùm instat Propheta, & argumento alio quid apud Iehouam proficere queat, experitur:

Arg. 2. *Perdiu* (inquit) *me frustra afflixi varijs consilijs & rationibus ineundis expediendæ salutis meæ.* vers. 3. in principio. Vbi est amplificatio perceptæ ægritudinis & mœroris ab adiuncto temporis. Nam cum diurnum tempus sit propter incurrentium occupationum varietatem interrumpendæ ægritudini & eludendæ longe aptissimum, conqueritur se nihilominus de die, non solum de nocte, angi vehementer distrahiq́ue.

Quapropter aggredere tu ô Iehoua pro tua singulari bonitate ad liberationem & salutem seruo tuo præstandam. vers. 4.

Huic suasioni subijcitur alia in tertij versiculi extrema clausula.

Arg. 3. *Fecit obseruata dilatio liberationis meæ, vt interea aduersarij mei vires suas & potentiam ad me perdendum valde adauxerint.* vers. 3.

Idcirco para te ô Domine, ad me præsentibus periculis explicandum. vers. 4.

Sequitur institutæ suasionis ratio quarta ducta à contemplatione acerbissimi euentus, qui expetitæ liberationis repulsam insequetur.

Arg. 4. *Interire me necesse est nisi ad me liberandum accesseris.*

ris.ver.4. in fine.

Quamobrem à malis, quibus tantopere affligor, eripe me ô Iehoua. verſ.4. in principio.

Antecedenti enthymematis exornatio attexitur ab effectis impiorum qui Dauidem è medio ſublatum volebant, concluſa in hanc formam:

Si me interire patiaris, hoſtes mei anſam inde arripient gloriandi, ſe, vtcunque ad te confugerim, valuiſſe tamen contra me.

At id à nominis tui gloria valde alienum fuerit, pati ſcilicet vt hoſtes mei glorientur ſe valuiſſe contra me, vtcunque ad tuam fidem opemq́; confugerim. verſ.5.

Itaque ne patiare interire me, ſed mihi de incolumitate proſpicito.verſ.4.in fine.

Ne adhuc quidem ſuperſedendum ſibi eſſe cenſet à perſequenda ſupplicatione Propheta: ſed quinto argumento de liberatione impetranda contendit. Id autem tale eſt, vt in ſe permagnam vim contineat alliciendi Iehouam ad ſeruis ſuis ſuccurrendum. Eſt enim conditionis promiſſionibus diuinis annexæ complementum: & conditione præſtita à fidelibus, Iehoua ad fidem liberandam ſe paratiſſimum eſſe oſtendit. Sed attendamus iſtam tanti ponderis concluſionem:

Arg 5. *Tua* (inquit) *ſingulari bonitate & fide in præſtandis promiſſis fretus ad te ſolum confugio, vt ope tua ab iis anguſtiis & miſeriis, quibus penè conficior, liberari poſſim*. verſ.6.in principio.

Liberationis igitur tantopere expetitæ poſtulatum, ne aſpernêre ô Iehoua, ſed mihi in eo pro tua admirabili miſericordia facias ſatis.ver.4.

Supereſt propoſitæ ſupplicationis argumentum poſtremum: ſed eiuſmodi, cuius ſenſu affici Iehoua & promoueri ſolet. Etenim profeſſionem complectitur ob beneficia ſiquando conferantur gratiſsimæ voluntatis.

Arg.6. *Accepta à te (ô Iehoua) incolumitate & liberatione à periculis, quæ me undiquaque obſident, gloriam miſericordiæ erga me tuæ per omnem vitam prædicabo*. verſ.6.

in medio.

Itaque ne grauère (ô Iehoua) seruo tuo de petitione exhibita assentiri: sed dissipatis eorum, qui ipsum persequuntur, consilijs, redde ei lumen vultus tui & salutem quam tanto & tam ardenti studio desiderat.

PSAL. XIIII.

1 *MAgistro symphoniæ ode Dauidis. Dicit stultus in corde suo, Non est Deus. Corruperunt, abhominandam quamque actionem perpetrarunt: non est qui faciat bonum.*

2 *Iehoua è cœlis prospectat super filios hominum, vt videat an sit vllus qui intelligat & qui requirat Deum.*

3 *Vnusquisque recessit: simul putidi facti sunt: non est qui faciat bonum, ne vnus quidem.*

4 *Annon sibi sunt conscij omnes qui dant operam iniquitati? comedunt populum meum, vt comedunt panem: Iehouam non inuocant.*

5 *Ibi expauescunt pauore: quia Deus adest generationi iustæ.*

6 *Consilium pauperis afflicti probro afficitis: quia Iehoua est receptus eius.*

7 *O si quis det è Sione salutem Israelis. Vbi reduxerit Iehoua populum suum captiuum, exultabit Iacob, lætabitur Israel.*

ANALYSIS PSAL. 14.

Dauid cum extingui in hominum animis studium religionis, & impiorum conatu ac scelere vocari in summum discrimen

discrimen salutem Ecclesiæ animaduerteret, huiusmodi oratione apud Iehouam vtitur:

O Iehoua, vindica & tuere aduersus impios Ecclesiam tuam, vt notum fiat esse Deum, qui in singulis orbem vniuersum administrat, & suum cuique tribuit. vers.7 in principio.

Hæc est illa pro salute Ecclesiæ petitio, quam vers. 7. sub voti seu optati cuiusdam forma propositam Psalmo decimo quarto exponit Propheta. *O si quis* (inquit) *det è Sione salutem Israelis?* Non est profecta oratio ista ab aliqua animi vel dubitatione vel desperatione de liberatione & incolumitate Israelis, id est, Ecclesiæ seu electi populi. Sed dum vehementius exoptat, vt Dei populus è manibus impiorum & imminentibus periculis vindicetur, vult è metonymia adiuncti pro subiecto intelligi, precationem adhiberi à se vt id fiat. Habet siquidem instituta precatio adiunctam persæpe optationem, vt id quod precatione expetitur, concedatur precanti & eueniat. Hinc est quòd metonymicώs optato nonnunquam precatio significetur. Sed quid est (dixerit fortasse quispiam) quod precationi huic, qua pro salute Ecclesiæ Dauidem vsum esse contendis, clausulam nescio quam de Iehouæ in orbe moderando prouidentia affinxeris, cum Psalmi versu septimo eiusmodi quid minime reperiatur? Fateor expressam non esse clausulam illam de prouidentia diuina, sed intelligendam & pro adhibitæ precationis membro habendam esse contendo. Etenim aut inepta est, & inconcinna postremi versiculi cum præcedentibus cohærentia, aut si conuenienter & scite ex eisdem deducatur, necesse est quod antegressis versiculis vberiùs tractatur, vt id sensu & accommodatione quadam ad versum postremum diffundi ac pertinere existimemus. Docet Propheta iam inde à Psalmi exordio ad versum postremum, eò vesaniæ impios deuenisse, vt & corde priuatim conclu-serint & actionibus publicè profiteantur, Deum hominum actionibus regendis non præesse: nulla eum cura affici distribuendi inter homines præmij vel pœnæ: sed pati vt quę quisque velit cursum persequatur. Hoc cum luculenter & copiose Propheta exposuerit, subinde nullo alterius gene-

ris interiecto argumento precationem pro salute Ecclesiæ, sub optati cuiusdam ardentissimi forma conceptam instituit & subijcit. Perinde ac si diceret: *Cum actiones singulas singulorum hominum prouidentia, & consilio tuo regi negent impij, atque ex eo nomini tuo insigne dedecus quantum in ipsis est & contumeliam inurant: cumque hac tam nefaria opinione imbuti & impunitatis confidentia nixi ad Ecclesiam tuam labefactandam omni studio & contentione ferantur: facito vt illustri & memorabili exemplo liberatæ per te Ecclesiæ, omnes intelligant administrari consilio tuo humanas actiones: tantæ tibi curæ esse munus tribuendæ iustitiæ, vt & præmijs virtutem ornes & impietatem grauissimis supplicijs coerceas: paratum esse te ad succurrendum populo tuo, siquando tyrannide impiorum de salute periclitari cœperit. Hoc si præstiteris, tam horribile perditissimæ opinionis commentum egregiè refelles.*

Verumenimuero attendamus tandem quibus argumentis Iehouæ de concedenda petitione persuadeat. Efficere id studet Propheta argumento duplici. Prius versu primo propositum per totos sex versiculos tractatur variè & eleganter. Posterius septimi versiculi posteriori clausula comprehenditur. Prioris argumenti conclusio hæc est:

Arg. 1. *Impius est ita destitutus omni sensu pietatis & timoris diuini, vt non dubitet & cogitare animo & profiteri actionibus, non administrari Dei consilio & prouidentia res humanas.* vers. 1. in medio.

Itaque aggredere ô Iehoua, Ecclesiæ tuæ ab impijs oppressæ liberationem, vt inde omnibus innotescat esse Deum, cuius prouidentia res humanæ sapientissimè & iustissimè gubernantur. vers. 7. in principio.

Quod ad enthymematis antecedentem attinet: videndum est quibus verbis eam enuntiet Propheta. *Dicit* (inquit) *stultus in corde suo, Non est Deus.* Stultum appellat Propheta non eum, in quo natiuæ rationis lumen retusum iam & obscuratum prorsus euanuit: nec hunc, qui non est perpolitus è schola, aut rerum maximarum vsu instructus: sed eum qui Spiritu Dei nequaquam regenitus, facultate illa ingenij & prudentiæ, quam vel à natura hausit, vel ab eruditis libellis

&

& disciplinæ institutione accepit, vel vsu & obseruatione comparauit, ad impietatem & turpitudinem perpetrandam abutitur *Stultus*, is inquam cui nihil præter studium carnis & legis diuinæ violationem sapit, *dicit in corde suo*, id est, ea mente & cogitatione est, quemadmodum ex ipsius actionibus deprauatissimi cordis indicibus constare potest, vt Deum esse negetid est, fingat vel Dei nullam virtutem esse, vel eam cœli finibus circumscribi, nec accommodari ad regendas hominum voluntates & actiones.

Sed quæ est antecedentis huius demonstratio quam instruxit Propheta? ea sic concluditur ab effectis:

Si impio persuasum esset esse Deum, non ita strenuè operam nauaret iniquitati.

At strenuè operam nauat iniquitati. vers. 1. parte posteriore.

Itaque impio persuasum non est esse Deum. v. 1. parte priore.

Assumptioni eam confirmationem subiecit Propheta, vt nulla neruosior aut luculentior esse queat. Siquidem Iehouam ipsum è cœlis de assumptionis veritate testantem introducit. Testimonium Iehouæ, quo euincitur *stultos istos* siue sint ex infima fœce homunculi, siue ex aula aut foro purpurati & magnifici, summo studio ad nequitiam incumbere, comprehenditur quinque versiculis, à principio scilicet secundi ad septimum. Versu secundo Iehouæ ad testimonium dicendum quasi præparatio quædam instruitur. Nam induta persona iudicis, cognoscere de causa & accuratiùs inquirere vult priusquam sententiam ferat. Præparatio ista exornationem habet primùm à loco, vbi Iehoua tanquam solio suo insistens de præsenti controuersia inquirit: is autem est cœlum. Deinde à subiecto inquisitionis: illud verò est bipartitum. Nam Iehoua è cœlis prospectat, id est, inquirit partim vtrùm filij hominum cognoscant Deum, partim vtrum Deum colant, pro eo scilicet cognitionis modulo, quem è verbo Dei consecuti sunt. vers. 2. Vbi diuinæ inquisitionis subiectum istud disertè notatur verbis *intelligendi Deum & eundem inquirendi*, id est, per synecdochen speciei, eundem colendi: quod fit diuini nominis inuocatione & celebratione, collocatione in eum fiduciæ

& ſpei, &c.

Atque ſic eſt explicata Iehouæ ad dicendum teſtimoniũ præparatio. Teſtimonium ipſum proponitur primò generatim, ver. 3. deinde verſiculis ſequentibus ſpecierum inductione illuſtratur.

Teſtimonium in genere propoſitum de rebus duabus loquitur. Docet ſiquidem homines non hos aut illos, ſed quoſuis à Deo turpiter defeciſſe & opinione quam de veritate diuina concipere par eſt, & totius vitæ inſtituto ac curſu. *Vnuſquiſque* (inquit) *receſſit*, id eſt, veritati receptæ & cognitæ renunciauit, *Omnes ſimul putidi facti ſunt*, id eſt, in eorum vitam moreſq; omnis impuritas & deprauatio immigrauit. Obſtringuntur igitur filij hominum vniuerſalis apoſtaſię crimine, ac eius à Deo ipſo grauiſſimè accuſantur, vt qui adhibita inquiſitione nihil ſani in ijs aut integri poſſit deprehendere, ſiue ipſorum opinio ſiue vita ſpectetur.

Iam verò filios hominum à Deo prorſus defeciſſe, ſpecialium inductione oſtenditur.

Sunt rei & cuiuſuis iniuſtitiæ erga hominem & cuiuſuis impietatis erga Deum. ver. 4. Vbi duas illas ſpecies, quæ nominatim exprimuntur, alteram ſcilicet de populo Dei auidè & alacriter comedendo, id eſt, ſæuiſſimè & abſque omni ſenſu conſcientiæ opprimendo & vaſtando, alteram de reijcienda omni inuocatione Iehouæ, interpretari conuenit per ſynecdochen ſpeciei, de quouis & iniuſtitiæ & impietatis genere.

Itaque omnes à Deo prorſus defecerunt: non eſt qui faciat bonum, ne vnus quidem. ver. 3.

Antecedens amplificatur primùm ab adiunctis circumſtantijs perpetrandæ impietatis & iniuſtitię: deinde è notata ſingularis impietatis ſpecie.

Adiunctæ circumſtantiæ, quibus committendæ nequitię amplificatio perficitur, ſunt triplices:

1. *Prima eſt, quòd non ignoratione aut infirmitate aliqua adducti, ſed re cognita & explorata, ſcientes nempe ſe flagitioſè & nequiter agere, ad ſe ſcelere contaminandum accedant.* ver. 4. in principio.

2. *Secunda,*

2. *Secunda, quòd vtcunque scienter ad Legem Dei violandam proruant, tamen conscientiæ grauissimos aculeos & terrores persentiscant.* verſ. 5. Vbi huius circumstantiæ, nempe contremiscentis & vehementer perculsæ conscientiæ, exornatio est è causa tanti terroris & cruciatus. Vident (inquit) impij Deum pijs semper adesse ac succurrere: ac proinde anguntur & metuunt ne Deus ipsos ob scelera perditurus sit.

3. *Tertia ad eam nequitiæ speciem propriè spectat, quæ est iniustitiæ aduersus homines. Comedunt*(inquit)*populum meũ vt comedunt panem*: id est, vt esurientes summa delectatione & auiditate vescuntur pane: sic hij nõ minori voluptate & ardore animi sæuiunt in populum meũ, eumque sine omni metu diuini numinis atrocissimè proculcant & obterunt.

Atque hæ sunt adiunctæ circumstantiæ ad amplificationem antecedentis.

Ii notatâ specie impietatis, impietas ipsorum sic concluditur:

Impij fidelium pietatem irrisione & probris excipientes, omnem Dei colendi rationem ludibrijs & contumelijs prosequuntur. verſ.6. Vbi disertè asseritur, *Consilium*, id est, *institutum morem seu cursum quem fideles sequuntur, dum opis & gratiæ obtinendæ causâ ad Iehouam Iehouæ promissis confisi se recipiunt, derideri ab impijs & probris affici*: & consequenter omnem numinis diuini cultum.

Itaque stultus iste, de quo Psalmus meminit, reus est nefariæ impietatis aduersus Deum.

Hactenus institutæ petitionis de vindicanda aduersus impios Ecclesia, vt inde notum sit esse Deum, argumentum prius per totos sex versiculos expositum est. Restat posterius. De eo iam videamus. Conclusum tali Enthymemate reperiemus:

Arg.2. *Ecclesia tua accepto abs te tam excellenti salutis & liberationis beneficio, summa animi alacritate gloriam nominis tui celebrabit.* verſ. 7. in posteriore parte.

Itaque vindica & tuere, ô Iehoua, aduersus impios Israelẽ tuum,

tuum, vt publicè constare possit esse Deum, cui rerum humanarum procuratio singulari curæ est. v. 7. in princip.

PSAL. XV.

1 *PSalmus Dauidis. Iehoua quis commoraturus est in tentorio tuo? quis habitaturus in monte sanctitatis tuæ?*

2 *Qui ambulat integrè, exercetque iustitiam, ac loquitur veritatem ex animo suo:*

3 *Non obtrectat lingua sua, non afficit proximũ suum malo: & opprobriũ non recipit contra proximum suum:*

4 *In cuius oculis contemptus est reprobus: timentes verò Iehouam honorat: iuratus in damnum suum non tamen mutat.*

5 *Pecuniam suam non exponit fœnori, & munus contra innocentem non accipit: qui facit ista, nunquam dimouebitur,*

ANALYSIS PSAL. 15.

Ecclesia Dei haud dissimilis est ciuitati, in qua admisti sunt veris ciuibus inquilini. Vt facile non est inquilinum à ciue internoscere, siquando eadem vterque lingua & eodẽ habitu vtatur: sic in Ecclesia Dei vsu venit, vt cum multi sint qui eiusdem fidei & professionis societate externa deuinciuntur, perdifficile sit germanum Israelitam ab adulterino & irreptitio distinguere. Hinc est quòd Psal. 15. regius Propheta, cum infinitam hominum turbam obeundis ceremonijs & sacrificijs sollicitè incumbere videret, doceríque cuperet num è tanta multitudine singuli, prout vulgi opinio ferebat, in veris Ecclesiæ membris censeri debeant, Iehouam

uam adeat, eumque de præsenti quæstione consulat, quippe quē res nullæ quantumuis abditæ & retrusæ latere queant. Quæritur ergo:

Quis sit Ecclesiæ sanguine Christi redemptæ verus & perpetuus ciuis.

Quæstio proponitur versu primo: *Quis* (inquit) *commoraturus est in tentorio tuo? quis habitaturus &c.* Hîc aspectabilis militansque Ecclesia nomine *tentorij*, cœlestis autem triumphansque nomine *Montis sancti* appellatur. Quod ad commorationem habitationemque attinet: vtrâque voce per quidem accommodatè vtitur Propheta: illâ ad notandum curriculi, quod in hac vita conficimus, exiguum spatium, quale in militaribus tentorijs peragi solet: hac ad significandum perenne tempus beatitatis & gloriæ in cœlis: vbi non commorandi diuersorium, sed habitandi locus conceditur.

Propositæ quæstioni Iehoua, vtcunque sit infinitæ maiestatis, non grauatur tamen pro incredibili bonitate respondere. Responsio Iehouæ, qui solus rerum omniū cognitione & iudicio excellit, adeo vt illius in disceptandis soluendisque quæstionibus sententia omni exceptione maior habenda sit, est vnico duntaxat comprehensa axiomate: cuius pars antecedens versibus quatuor continetur, viz. 2. 3. 4. 5: pars autem consequens versiculi quinti extrema clausula, sed in genere addita expositæ antecedentis summa: *Qui facit ista* (inquit Iehoua) id est, ea iustitiæ & veritatis officia præstat, quæ versiculis præcedentibus sunt particulatim explicata, *is nunquam dimouebitur*, id est, commorabitur in tentorio Iehouæ, & habitabit in monte sanctitatis suæ: erit (inquam) Ecclesiæ & militantis in mundi tentorio & triumphantis in cœlesti sanctuario germanum membrum, eiusmodi scilicet quod nunquam auelli à corpore Iesu Christi aut interire potest; erit ex conciuibus sanctorum & domesticis familiæ diuinæ: immo hæreditatem cernet vnà cum Christo æternæ & amplissimæ gloriæ.

Sed Iehouam nobis de instituta quęstione respondentem & eandem pro summa authoritate dirimentem, summa animi

nimi attentione & humilitate, vt par est, audiamus.

Iehouæ responsio illustrem propositæ quæstionis solutionem complectitur petitam ab insigni descriptione hominis, cuius est frui excellenti illa prærogatiua & iure hæredis in regno gratiæ & gloriæ.

Descriptio est ab effectis, vt è versu quinto liquet: non illis, quæ prima Legis tabula requiruntur, sed ijs quæ præcipiuntur secunda. Quod eo consilio fit, vt intelligamus repudiari à Iehoua externi cultus officia in precum & sacrificiorum oblationibus præstita, nisi profecta esse constiterit ab eiusmodi fide, quæ veræ charitatis erga proximum officijs est commendatissima.

Sed quæ sunt effecta, quibus germanus & perpetuus catholicæ Ecclesiæ ciuis describitur? ea ad duo capita reuocantur: quorum alterum est,

Cordis integritas, quæ amore virtutis & odio vitij continetur. ver. 2. in principio. *Qui ambulat integrè*, id est, qui virtutem amore & vitium odio prosequitur.

Actionum externarum ad cordis integritatem conformatio.

Actionum externarum conformatio ista posita est in officijs

1. *Iustitiæ. Qui exercet* (inquit) *iustitiam.* ver. 2. in medio.

2. *Veritatis: Qui loquitur veritatem ex animo.* ver. 2. in fine.

Veritatis officia, vtcunque posteriori loco nominentur, tamen antè explicantur, quàm officia iustitiæ.

Veritatis officia, quæ præstare proximo oportet, sunt quadruplicia:

1. *Studium veritatis in omni quo vtimur sermone enunciandæ, adeo vt oratio conceptis animi notionibus congruens sit, earumq; fidelissima interpres & quasi effigies.* vers. 2. in fine.

2. *Cauere ne ipse confictis calumnijs alienæ existimationi detrahas.* vers. 3. in principio.

3. *Cauere ne oratio eiusmodi sit, quæ damno proximum afficiat in ijs, quæ victum cultumq; ipsius aut libertatem spectant.* vers. 3. in medio. Vt in principio versiculi consulitur existimationi proximi: sic in versiculi medio ipsius

bonis

bonis & libertati prospicitur, ne quando eisdem linguę temeritate aut petulantia noceatur.

4. *Non suffragari aut applaudere excogitatis ab alijs, & disseminatis rumusculis, quibus alterius nomini labes aspergitur.* vers. 3. in fine.

Iustitiæ officia erga proximum exercenda, sequuntur:

1. *Seposita prosopolepsia, de impijs pessimè, de bonis sentire honorificè: illos vt Satanæ mancipia pro nihilo ducere, hos vt membra Iesu Christi permagni facere & honore prosequi: cum illis nullam amicitiæ & societatis coniunctionem inire: cum hys versari familiariter ac mutuis beneuolentiæ officijs deuinciri.* ver. 4. in principio & medio.

2. *Non violare fidem incommodi vitandi causa, sed fidei liberandæ, quæ interposito iuramento astringitur, studiosum esse.* ver. 4. in fine.

3. *Nullo ad facultates augendas illicito contractu vti, qualis sub specie Mutui in exigendis vsuris adhibetur, sed pecuniæ illegitimis modis corradendæ & cumulandæ seposito studio, priuatim ex arca pro facultatum ratione alijs benefacere nulla expectata mercede.* vers. 5. in principio.

4. *In causarum iudicialium tractatione non abduci ab officio aut æquitate acceptis contra innocentem muneribus*, id est, *nullius commodi contemplatione, non partium studio, denique non alio quouis respectu? sed id semper in omni causa iudiciali sequi, quod est æquitati maxime consentaneum.* ver. 5. in medio.

Qui veritatis & iustitiæ officia superiùs commemorata præstat ex illa animi integritate quam requirit Iehoua: is Iehouæ ipsius iudicio perpetuus erit Catholicæ Ecclesiæ ciuis. Nullus imminentis periculi terror, nulli rerum aduersarum impetus & angustiæ, nullæ mundi & carnis illecebræ, nulla fraus Satanæ, nulla mortis acerbitas, nulli Angeli aut principatus separare illum ab ea, quâ nos Deus Pater in Christo Iesu complectitur, charitate possunt.

PSAL. XVI.

1 INsignis ode Dauidis. Serua me Deus fortis.
Nam in te confido.
2 O anima mea: dicis Iehouæ, Dominus meus
es. Beneficentia mea non extendit se ad te:
3 Verùm ad Sanctos qui in terra sunt, & ad
magnificos. In ijs tota oblectatio mea est.
4 Dolores eorum qui alienum dotant, multipli-
cantur. Non libabo libamina ipsorum ex sanguine:
neque assumam nomina eorum in labijs meis.
5 Iehoua est portio prædij mei & poculi mei. Tu
sustentas sortem meam.
6 Funiculi acciderunt mihi in locis amœnis: e-
tiam possessio est elegantissima, quæ obtigit mihi.
7 Benedicam Iehouæ qui dat consilium mihi: e-
tiam per noctes erudiunt me renes mei.
8 Propono mihi Iehouam iugiter. Quia à dex-
tera mea est, non dimouebor.
9 Idcirco lætatur cor meum, & exultat lingua
mea. Etiam caro mea habitat securè.
10 Non enim es derelicturus animam meam in
sepulchro: nec permissurus vt dilectus tuus videat
corruptionem.
11 Notam mihi facies semitam vitæ. Satietas
gaudiorum in conspectu tuo est. Ad dextram tuam
amœnitates sunt in æternum.

ANALYSIS PSAL. 16.

Quod attinet ad Psalmi titulum: variè exponitur ab in-
terpre-

terpretibus. Sed ea videtur interpretatio commodissima, quam Gallicæ versionis authores sequuntur. Cum Hebræa vox, si Burgensem audimus, significatione sua monile notet ex purissimo auro conflatum: non alienum fuerit si titulo comprehendi & significari dicamus Psalmi mirificam excellentiam, vtpote qui eam doctrinam complectatur, quæ aurum purgatissimum & gemmas præstantissimi nitoris pretio & dignitate superat.

Psalmi partes duæ sunt:

1. *Petitio.*

2. *Actio gratiarum.*

Petitio comprehenditur versiculo primo, hijs ferè verbis:

Serua me ô Iehoua, per omnem vitam,

Petitionis suasio triplici argumento perficitur. Primum in hanc formam concluditur:

Arg. 1. *Qui in te omnem fiduciam suam collocant, eos conseruato.*

Ego is sum qui in te omnem meam fiduciam colloco. vers. 1. in fine.

Quocirca, ô Iehoua, me conserua. vers. 1. in principio.

Propositio reticetur: de qua tamen sic existimandum est, esse eam fundamenti instar quo innititur supplicatio Prophetæ. Nam Iehouam admonet tum de gratiæ promissione facta inuocantibus ipsum, tum de conditione promissi, quæ fiduciæ officio in Dominum reponendæ tota continetur.

Assumptio Syllogismi refert de impleta conditione. Ac proinde conclusione interpellat Iehouam Propheta de fide liberanda.

Sed prosequitur Dauid propositæ supplicationis suasionem altero argumento.

Arg. 2. *Si tu* (inquit) *Dominus meus sis, & ego vicissim seruus tuus: serua me per omnem vitam, ô Iehoua.*

At tu Dominus meus es, & ego vicissim seruus tuus. vers. 1.

Serua igitur me, ô Iehoua. vers. 1.

Ad Assumptionis confirmationem subijcitur testimoniũ exhibitum ab anima & conscientia Prophetæ. ver. 2. in principio:

cipio: vbi animam suam in hunc modum affatur Propheta:

Tu, ô anima mea, confidenter profiteris Iehouam esse Dominum meum.

Quid ergo causæ est cur ipsum pro Domino non agnoscam?

Porro vt impetrare queat quod à Domino contendit Propheta, vrget ipsum ab expetitæ conseruationis fine. sic:

Arg. 3. *Conseruatus abs te benefacturus sum ijs qui te colunt.* vers. 3. Vbi profitetur Dauid se beneficentiæ suæ officia & fructus in eos collaturum, quos sanctos & magnificos esse constat, id est, veros Dei cultores.

Ac proinde conserua me ô Domine: vt nempe tuis opera & benignitate adesse possim.

Antecedens enthymematis amplificatur

1. *A fidelium descriptione, qui sunt beneficentiæ illius, qua vti Propheta vult, subiecta.*
2. *A designatione personarum, quas non vult esse beneficentiæ suæ subiecta.*
3. *A notatione causæ, cuius impulsu ad fidelibus beneficè faciendum accessurus est.*

Fidelium descriptio est ab adiunctis titulis, quibus ornat ipsos Iehouæ Spiritus. Nam

1. *Sanctorum appellatio illis tribuitur: vtpote quos sanguine Christi purgatos, Spiritus Dei ad obeunda pietatis & iustitiæ officia formauerit & quasi seposuerit.*
2. *Magnificorum seu excellentium nomine insigniuntur: quippe qui iure & dignitate potiantur filiorum Dei: quem amplissimum esse constat & magnificentissimum in Dei populo gradum.*

Personæ illæ, quibus beneficentiæ, qua vti Propheta vult, officia non communicantur, sunt duorum generum:

1. *Iehoua ipse: qui cum sit terræ cœliq; Dominus, sic bonis omnibus abundat, ei vt nihil desit: ac proinde non potest conditionem ipsius hominum beneficentia aut opera cumulatiorem reddere.*
2. *Vulgus prophanum & impium. Huius generis fæcem ab omni communicatione in ijs bonis, quæ à Dauide proficiscuntur, excludi, constat è Dauidis professione, partim conferendæ*

rendæ beneficentiæ in Sanctos, ver. 3. *partim odij suscepti aduersus impios*, ver. 4. Dum igitur eos notat, ad quos benignitatis istius fructus non est peruenturus, perinde facit ac si in hanc sententiam concluderet:

Aut Sancti aut Iehoua ipse aut impij communicaturi sunt in fructibus beneficentiæ meæ.

Non tu Iehoua: vtpote cuius conditio inde melior reddi nequeat: nec impij, quos summo odio prosequor.

Itaque soli sancti communicaturi sunt in fructibus beneficentiæ meæ.

Reliqua est causæ explicatio, qua inductus Propheta sanctis benefacturus est. Eam tali syllogismo propositam reperiemus:

Qui mihi sunt in amoribus & delicijs, ijs ego benefacturus sum.

At Sancti mihi sunt in amoribus & delicijs. vers. 3. in fine.

Sancti igitur ij sunt quibus ego benefacturus sum. vers. 3. in principio.

Quod ad Assumptionem attinet: est illa quidem illustrata à contrarijs:

Idololatras & impios vehementius odi. vers. 4.

Itaque Sanctos & Dei veros cultores eximio amore complector. vers. 3. in fine.

Antecedenti enthymematis subijcitur amplificatio partim à descriptione idololatrarum, partim à duarum actionum notatione, quibus patefieri vult odium erga ipsos suum.

Descriptio idololatrarum est

1. *A similitudine: in qua cum ijs qui in vxores à se ductas conferunt dotem, aptissimè comparantur. Nam idololatræ intercedente animi superstitioso cultu sese cum idolis, quasi matrimonio quodam copulant, eaq; munere donant amplissimæ dotis: vt constare potest cum è delubris, altaribus, imaginibus ad cultum idolorum magnificè & summo sumptu extructis, tum è multiplicibus ferijs, solennibus epulis, & varijs magni pretij oblationibus, quibus ornantur idola honorificè.*

2. *Ab effecto & euentu infœlici, qui adhibitæ idololatriæ nefarias rationes solet consequi. Qui alienum dotant* (inquit Propheta) *multiplicant dolores suos:* id est, qui idololatriæ scelere se constringunt & turpitudine contaminant, ij iusto Dei iudicio infinitam vim angorum & miseriarum sibi accersunt. Vide Deut. 31. v. 16. 17.

Actiones illæ, quæ de Prophetæ odio aduersus idololatras concepto testantur, duæ sunt. Nam profitetur

1. *Se reiecturum omnem cum illis in sacrificiorum oblatione societatem.* vers. 4. in medio.
2. *Se vel ab ipsa mentione idolorum abhorrere vehementius.* vers. 4. in fine.

Prophetæ petitio exposita iam est: superest actio gratiarum à principio ver. 5. ad Psalmi finem. Subiectum igitur hisce tot versiculis tractatum huc redit, vt doceat Propheta,

Se nomen Iehouæ & corde & ore prædicaturum. vers. 7. 9.

Argumentum quo adductus Propheta est, vt Iehouæ nomen prædicet, in genere est eiusmodi:

Iehoua contulit in me varia beneficia. ver. 5 6. 7. 8. 10. 11.

Ac proinde Iehouæ nomen & corde & ore celebrabo. ver. 7. & 9. Quod v. 9. de carnis suæ secura habitatione dicitur, intelligere oportet de totius personæ lætitia & exultatione. Perinde ac si diceret: non modò cor meum & lingua nomini tuo laudem tribuunt: sed etiam integra persona placidè, & nullo metu interrupta exultat.

Enthymematis pars antecedens non est disertis verbis comprehensa, sed deducta è particularium beneficiorum in Prophetam collatorum enumeratione. Beneficia, quibus affecit Dauidem Iehoua, proponuntur

1. *In genere.*
2. *In specie.*

In genere proponuntur ver. 5. & 6. vbi adhibitis rhetoricæ elocutionis illustribus formis, prædicat Iehouam eum esse:

1. *Quo authore quasi proprietatem & dominium obtinuit in concessæ fœlicitatis statu.* Tu es (inquit) *portio prædij mei,*

mei,& calicis mei: id est, solus author & princeps illius fœlicissimæ conditionis, qua vel in terris fruor, vel fruiturus sum in cœlis. Tu mihi, non in terra Canaanis portiunculam distributæ hæreditatis tribuisti, sed te ipsum in hæreditatem concessisti. Quod demensum est familiæ domesticis, à patrefamilias in dies singulos impertitum: idem mihi tu es ô Iehoua.

2. *Cuius beneficio non modò dominium consecutus sum in hæreditate concessa, sed etiam perennem vsumfructum. Tu* (inquit) *sustentas sortem meam:* id est, quem in me beatitatis statum pro singulari misericordia contulisti, eum tueris ipse, nec pateris me ab assignata mihi possessione depelli.

3. *Cuius admirabili gratia, cum proprietas tum vsusfructus possessionis, qua potior, efficitur mihi multo iucundissimus.* ver.6. *Funiculi* (inquit) *acciderunt mihi in locis amœnis: etiam possessio est elegantissima, quæ obtigit mihi.* Voce funiculorum & possessionis notat attributæ sibi fœlicitatis conditionem. Erat in more positum apud antiquos, vt adhibitis funiculis agrorum possessiones dimetirentur & iacta sorte easdem distribuerent. Ad hanc consuetudinem videtur allusisse Propheta. Inde est quòd Iehouam possessioni comparet, sed eiusmodi possessioni, quæ cæteris omnibus, si amœnitatem ipsius & oblectamenta spectes, longissimè antecellit. Qui igitur Iehouam proprietate & vsufructu obtinet, is ita omni bonorum genere abundat, ei vt nihil ad summam fœlicitatem desit.

In specie proponuntur beneficia in Dauidem collata versiculis sextum consequentibus: in quibus Iehouæ gratias agit laudemque tribuit

1. *De sanctificatione cordis sui.*
2. *De resurrectione à mortuis.*
3. *De immortalitate vitæ.*

In sanctificatione cordis sui explicanda sic progreditur, vt illius partes interpretetur notasque faciat. Eæ verò tres sunt:

1. *Illuminatio mentis ad intelligendum ea quæ oportet.* ver 7. in principio. Vbi ait consilium dari sibi à Spiritu Iehouæ.

2. *Gubernatio cogitationum & affectuum.* vers.7. in fine. *Per noctes* (inquit) *erudiunt me renes mei:* id est, voluntatis meæ studia omnia affectionésque te authore & duce ad ea feruntur, quæ sequi par est. Sanctificationis membrum istud habet exornationem à temporis circumstantia. Vbi per synecdochen partis, quod de noctibus dicitur interpretari conuenit de tractu totius vitæ. Nam quos regenuit Spiritus Dei, ij Duce eodem quam pietatis & obedientiæ viam ingressi sunt, eandem persequuntur quoad integrum curriculum confecerint.

3. *Perseuerantia in fide.* ver. 8. Vbi asserit se ductu Spiritus vitam suam sic instituere, vt Iehouam sibi semper proponat: id est, in Iehouam semper collocet fiduciã suam. Atque hinc deducitur insigne consectarium & suauissimæ consolationis plenissimum:

Iehoua à dextera mea est: id est, Iehouam tanquam præsentem fidei oculo intueor, & fidei manu apprehendo.

Ac proinde à gratia Iehouæ dimoueri aut excidere nunquam potero.

Restat nominis diuini celebratio ob resurrectionis, & æternæ vitæ beneficium.

De resurrectione sua loquitur vers.10. in cuius versiculi interpretatione Iunium sequor. *Non derelinques animam meam in sepulchro, &c.* Nomine animæ subiectum animæ intelligitur, in quo tanquam in domicilio quodam anima residet. Non est permissurus Iehoua vt dilecti sui corpus ad putredinem & puluerem redigatur. Dici istud de Christo testatur secundum caput Actorum. Delituit ad tempus aliquod Christi corpus sepulchri terminis inclusum: immune tamen ab omni labe corruptionis. Sed extendi vaticinium hoc nihilominus ad Dauidem, & quæuis alia Iesu Christi membra debet: quæ ratione arctissimæ vnionis, quæ ipsis cum

cum Christo capite intercedit, fieri nō potest quin in Christi resurrectione tempore definito communicent, vtcunque interea eorum corpora minutatim discerpantur & vi putredinis intereant.

Vitæ æternæ beneficium vers. 11. comprehenditur: vbi in hunc modum tam excellentis beneficij nomine laudatur Iehoua: *Notam mihi facies semitam vitæ*: id est, postquam corpus meum dominio mortis & vinculis sepulchri liberaueris, tum demum actu compertum habiturus sum, ingressum esse me & corpore & anima in semitam æternæ vitæ & immortalitatis beatæ gloriam.

Huius æternæ vitæ præstantiam amplificat Propheta,

1. *Ab adiuncta plenitudine gaudiorum. Satietas* (inquit) *gaudiorum in conspectu tuo est:* quasi diceret, *Qui æternæ vitæ beneficio fruuntur, iis nihil ad plenum diuinissimæ fœlicitatis cumulum deest.*
2. *Ab adiuncta perpetuitate gaudiorum. Ad dexteram tuam* (inquit) *amœnitates sunt in æternum:* id est, æternæ vitæ fidelibus donatæ illa singularis gloria nunquam deflorescit: nec de ineffabili gaudio electorum intercipitur quid aut dilabitur.
3. *Ab efficiente. Tantæ dignitatis ac præstantiæ, quæ in æternam vitam cadit, ratio & origo à præsentia & conspectu Iehouæ repetitur. Nam quibus se Iehoua semper ac familiariter conspiciendum exhibet, eorum conditionem sic præstantem reddit & honorificam, vt nihil ad summam beatitudinem desideres.*

PSAL. XVII.

1 *ORatio Dauidis. Exaudi Iehoua iustitiam: attende ad clamorem meum: aurem præbe orationi meæ, quam habeo absque labiis dolosis.*

2 *A facie tua ius meum prodeat: oculi tui videant*

deant quæ recta sunt.

3 *Explorasti cor meum: visitasti de nocte: examinasti me: nihil inuenisti. Cogitaui vt non transgrediatur os meum.*

4 *Quod attinet ad opera humana ex verbo labiorum tuorum: caui mihi à semitis effractoris,*

5 *Continens gressus meos in orbitis tuis, ne labantur pedes mei.*

6 *Ego inuoco te, Deus fortis: quia consueuisti me exaudire. Inclina aurem tuam ad me; ausculta sermonem meum.*

7 *Redde admirabiles benignitates tuas, ô qui seruas recipientes se ad dexteram tuam ab insurgentibus.*

8 *Serua me tanquam nigrum pupillæ oculi: vmbra alarum tuarum absconde me,*

9 *A facie impiorum, qui vastant me, & ab inimicis meis capitalibus qui cingunt me.*

10 *Adipem suum obesant: ore suo loquuntur superbè.*

11 *Gressum nostrum nunc circundant nobis. Oculos suos posuerunt vt prosternant nos in terram.*

12 *Similitudo cuiusque est tanquam Leonis appetentis rapere: & velut iuuenilis Leonis residentis in latibulis.*

13 *Surge Iehoua: præueni faciem eius: prosterne eum: eripe animã meam gladio tuo ab improbo.*

14 *Ab hominibus istis eripe me manu tua, ab hominibus mundi, quorum portio est in hac vita: quorum ventrem imples recondito thesauro tuo: satiantur*

tiantur filij & relinquunt residuum suum infantibus suis.

15 *Ego in iustitia videbo vultum tuum: satiabor cum expergiscar, effigie tua,*

ANALYSIS PSAL. 17.

Inscriptio Psalmi breuiuscula est, & eo consilio præmissa, vt nos de subiecto, quod Psalmo decimo septimo explicandum suscepit Propheta, admoneat.

Subiectum Psalmi petitio quædam est in hanc sententiam comprehensa: vt nempe *ab inimicis seruetur, & interea perdantur ipsi.* v. 8. 9. 13. 14.

Antequam petitionem institutam adhibitis argumentis persequatur, facit id quod in foro solent oratores. Hij siquidem vt iudicibus, apud quos agitur, de causæ æquitate satisfiat & ad eandem attentè beneuoleque audiendam moueantur, de adhibendo exordio aliquo, accuratò quidem & ad conciliandam beneuolentiam instructò cogitant. Pari ratione Propheta noster, ne minus æquum postulatum attulisse videatur & parum facilem habeat in eo concedendo Iehouam, præmisit institutæ petitioni exordium. Est autem exordij quæstio huiusmodi:

Exaudi me Iehoua ac vt mihi administretur iustitia videto. v. 1. & 2.

De Propheta audiendo loquitur versiculus primus & sextus. Vt Dauidi consulatur de obtinenda iustitia, agitur versu secundo. *A facie tua* (inquit) *ius meum prodeat: oculi tui videant quæ recta sunt.* Perinde est ac si diceret: Homines in iuris administratione, vel ignoratione, vel partium studio vel muneris oblati ratione vel alio aliquo insigni sed deprauato respectu ducuntur: ab ijs igitur ad te Iehoua prouoco: tu mihi de eo, quod ius est, obtinendo prouideto. Vt omnem recti & æqui rationem accuratissimè calles: sic diligenter vide, vt quod rectum est & iustitiæ regulis consentaneum, id mihi tribuatur & obueniat.

Vt verò exaudiatur Propheta & quod rectum est Iehoua senten-

sententiam dicente consequatur, in hunc modum differit; ab adiunctis scilicet causæ & personæ suæ:

Arg. 1. *Causa mea æqua est: ipse in hoc inuocationis officio ab omni simulatione liber sum: etiam innocens sum, non obiecti criminis reus.*

Exaudi igitur me Iehoua ac vt mihi administretur iustitia videto. vers. 1. & 2.

Enthymematis antecedens tria membra complectitur.

Prius illud de causæ æquitate versiculi primi priori parte comprehenditur. Exaudi (inquit) *iustitiam*, id est, cùm causa mea iusta sit, eam ne aspernêre, sed pro singulari benignitate exaudias. Iustitiæ vocabulo duplex tropus inest. Cum iustitiam dicimus pro causa quæ iusta est, metonymice loquimur. At cum iustæ causæ nomine Dauidis causam significamus, adhibetur Synecdoche generis.

Secundum membrum, quo docetur orationem Prophetæ ab omni fraude & simulationis artificio alienam esse, in primi versiculi exitu proponitur.

Tertium de Prophetæ innocentia. vers. 3. 4. & 5. *disertè tractatur.* Innocentia Prophetæ subiectis partibus distinguitur. Nam de innocentia loquitur & cordis sui & sermonis & factorum seu actæ vitæ. Cordis innocentia exponitur versiculi tertij priori parte: Sermonis autem ac linguæ, posteriori clausula eiusdem versus. *Omnes* (inquit) *cordis mei latebras & recessus perscrutatus es: omnes animi mei cogitationes ad examen reuocasti: nihil tamen in ijs doli ac fraudis deprehendisti. Porro in id semper incubui, vt nihil mihi vnquam in communi sermonis vsu excideret, quod ab aduersarijs meis iure reprehendi poterit.* ver. 3.

De vitæ à Propheta actæ innocentia agitur ver. 4 & 5. Vbi in hanc sententiam loquitur. *Quod attinet* (inquit) *ad actiones & vitæ degendæ officia, quæ verbo tuo præscribuntur & ab hominibus præstari vis: dedi operam, vt tibi iusta & laudabilia præcipienti obtemperarem. Ac proinde effractoris, id est, hominis impij vias & instituta semper defugiebam: gressusque meos,*

meos, ne labi aliquando & inquinare me peccati turpitudine cogerer, velut intra curriculum mandatorum tuorum & legis tuæ cancellos continebam. v, 4. & 5. Vbi versiculum quintum sic interpretari conuenit, vt sensu cum quarto cohærentem: immo vtrumque versum vnico axiomate comprehensum existimare: ac si disertis verbis diceretur: *Non sum secutus semitas effractoris, sed continui gressus meos in orbitis tuis, &c.*

Sequitur aliud argumentum, quo Iehouæ persuadere vult de exauditione & de eo concedendo quod æquum est.

Arg. 2. *Opem tuam imploro Iehoua.* ver. 6. in princ.

Itaque præbe mihi aurem & ausculta sermonem meum. ver. 6. in fin.

Consequentia Iehouæ promissione nititur & fidelitate.

Pars antecedens enthymematis habet amplificationem huiusmodi: à causa scilicet, qua inductus Dauid ad Iehouam confugit.

Consueuisti me antehac exaudire. v. 6. in med.

Itaque opem tuam iam imploro. v. 6. in princ.

Hactenus adhibitæ præfationis quæstio explicata est à versu scilicet primo ad v. 7. Prophetæ supplicationem, quæ reliqua parte Psalmi tractatur, videamus. Ea verò est hisce verbis comprehensa:

Protege me Iehoua contra inimicos meos eosque perde. vers. 8 9. 13. 14.

In persequenda suasione petitionis huius multum adhibet operæ Propheta. Ac primò Iehouam admonet de accessione gloriæ, quæ è facta conseruatione Prophetæ & impiorum excidio ad ipsum peruentura est.

Arg. 1. *Me* (inquit) *per te conseruato & deletis inimicis meis, plurimum addetur ad gloriam bonitatis erga me tuæ.* ver. 7. in princip.

Itaque protege me aduersus hostes meos eosq; prosterne. ver. 8. 9. 13. 14.

Antecedentis sententia ver. 7. comprehenditur. *Redde* (inquit) *admirabiles benignitates tuas.* Non est nouum sub cohortationis formula, ei cui supplicamus de re concedenda persuadere: aut imperatiuum quem appellant modum loco futuri

futuri adhibere. Quod igitur Iehouam hortatur Propheta vt benignitatem ſuam reddat admirabilem: perinde eſt ac ſi diceret: *Illuſtris iam eſt apud omnes gloria nominis tui: ſed eam longe illuſtriorem reddes, ſi hoſtium meorum conſilijs occurreris, ſi ipſorum conatus & vires protriueris, meq; ab imminentibus periculis liberatum in tuto collocaueris.*

Dum ver. 7. Iehouæ ſuadet Propheta vt de gloria nominis ſui amplificanda cogitet, ornat ipſum honorificæ appellationis titulo: quo Iehouæ deſcriptio ab effectis continetur, ita tamen vt inſigne argumentum inde ſuppeditetur ad peruincendam conceſſionem inſtituti poſtulati.

Arg. 2. *Tu* (inquit) *ô Domine profiteris eſſe te ſeruatorem & vindicem eorum, qui promiſſis tuis de ope ferenda factis confidenter innixi ad te confugiunt.* ver 7. in fin.

Quamobrem, cum ego ad te confugiam, præſta te eum quem profiteris: id eſt, *ſerua me & vindica ab inſurgentibus, ijs ſcilicet qui ad inferendam mihi perniciem coierunt.*

Additur verſu octauo propoſitæ ſupplicationis exornatio à notatione adiunctæ formæ, quam obſeruari à Domino Propheta cupit in conſeruationis, quæ expetitur, præſtandæ negotio. Petit igitur vt non grauetur Iehoua in ſerui ſui conſeruationem omni ſtudio & vigilantia incumbere. Quale ſtudium & vigilantiam requirat, duplici ſimilitudine allata exponit. Sic:

Quali cura & vigilantia cuſtodit quis oculi pupillam & pullos ſuos gallina:

Talem in cuſtodienda ſalute mea ô Iehoua adhibeto.

Pergit in ſupplicatione ſua perſequenda Dauid. Ac quia ſupplici magnopere prodeſt ad gratiam conſequendam ſi conſtiterit opprimi eum ab hominibus nequiſſimis & coniectum eſſe in ſummum rerum omnium diſcrimen: ideo diſſerit apud Iehouam in hanc ſententiam Propheta:

Arg. 3. *Me homines ſceleratiſſimi ſic perſequuntur, vt de omni ſtatu meo pericliter.* ver. 9. 10. 11. 12. 14.

Exurge igitur ô Iehoua, meq; in priſtinæ incolumitatis conditionem reſtituto hoſtes meos perde. v. 13.

Enthymematis pars antecedens à ver. 9. ad ver. 15. tracta-

tur

tur adhibita coniunctim descriptione & hostium Dauidis & periculi in quo versatur. Descriptio est ab effectis, adiunctis & comparatis, in hanc formam instituta:

1. *Priuarunt me omnibus vitæ subsidijs & ornamentis.* v.9. Vbi de illata sibi vastitate & spoliatione conqueritur.

2. *Vitam mihi eripere student.* ver. 9. Vbi cingi se docet ab inimicis capitalibus, ijs scilicet qui ad Prophetæ interitum meditantur.

3. *Opum ac potentiæ vim magnam obtinent: adeo vt fastu & superbia intumescant:* id quod ex ipsorum quotidiano sermone liquet: quippe quo & Deum & homines insectentur. ver. 10. Vbi sub vocabulo adipis opulentia & potentia ipsorum notantur. Hanc in dies singulos perinde augent, ac homines delicijs & otio indulgentes adipem suum.

4. *Obseruant & me & meos, quo nos cunque vertimus: immo in id vnum sollicitè incumbunt, vt interitum nobis afferant.* ver. 11.

5. *Crudelitate & immani grassandi libidine persimiles sunt tum leonibus, qui ad prædam rapiendam vim adhibent, tum leonum catulis, qui in latibulis suis delitescentes astu & dolo prædam intercipiunt.* ver. 12. Quæ hoc versiculo comparationes proponuntur, ad vndecimi versiculi illustrationem aptissimè inseruiunt.

6. *Sunt mundi mancipia: in hac vita tantùm, non in cœlesti partem vllam habent: exquisitis huius mundi lautitijs fruuntur ac satiantur.* ver. 14. Vbi mundi excellentes illæ lautitiæ nomine reconditi thesauri appellantur. Thesaurus est quiddam apud homines permagnæ æstimationis & pretij. Ac Iehouæ thesaurus dicitur reconditus: vel quod recondita quadam ratione hominibus dispensetur: vel quod cuiuis non sic pateat, vt possit inde cum velit assumere: sed tum demum cum aperit Iehoua manum, apprehenditur.

Sed ecce illustrationem subiecit Propheta eorum, quæ de impijs decimo quarto versiculo proponuntur. Clausula postrema illa nempe de rerum lautissimarum admirabili copia,

pia,qua fruuntur impij, priori loco illustratur,idque à comparatione Maiorum, sic:

Faciunt vt filij sui & nepotes abundent lautissimis opibus, transmissa nempe ad ipsos insigni quadam possessionum & nummorum proportione.

Non ergo mirum videri debet si ipsi dicantur locupletissimi esse & rerum splendidissimarum copia affluere.

Secundo loco, versiculi decimi quarti priora membra exornationem habent à dissimilitudine, cuius protasis v.15. comprehenditur.

Ego secundum fœderis tui cum electis tuis initi iustitiam, locum in regno cœlesti habiturus sum & tuæ præsentiæ excellentissimis bonis satiabor cum à mortuis resurrexero. ver. 15.

At illis mundi huius & Satanæ mancipijs aditus omnis in cœlos interclusus est: ipsorum portio seu summum bonum est in hac vita: hîc est, vbi exquisitissimis lautitijs satiantur. ver. 14.

Quod ad dissimilitudinis protasin attinet: non sum nescius in aliam sententiam à nonnullis explicari illam & intelligi. Sed quando cum præcedenti versiculo sic cohæret, vt ipsi cum eodem illustris dissimilitudo intercedere videatur: facilè adducebar vt quam secutus sum interpretationẽ, eandem cæteris anteferrem. Quod igitur ait, *se in iustitia visurum esse faciem Iehouæ*: perinde est, ac si ita loqueretur: *Ego fide illa, quam in fœdere gratiæ requiris, iustus existens, in eum locum recipiar, vbi vnà cum reliquis sanctis in regno cœlesti degentibus Maiestatis tuæ splendorem licebit intueri. Immo effigie tua satiabor*, id est, *ijs bonis & gloriæ ornamentis potiar, quæ à præsentia & familiari cõsuetudine glorosissimi seruatoris suppeditari possunt.* Sed quando ad tantæ fœlicitatis gradum peruenturus est Propheta? *certè* (inquit) *cum expergiscar*, id est, *cum à morte, quæ somni instar est, resurrexero.* Vt mors somno, & resurrectio à mortuis excitationi à somno in Scripturis comparetur, nouum non est.

Descriptio impiorum & grauissimi periculi, in quo versatus est Dauid, exposita iam est, ad illustrandam nempe tertij

enthy-

enthymematis partem antecedentem. Vnde constat sic opprimi Dauidem ab hominibus nequissimis, vt de vita & reliquo omni statu periclitetur: ac proinde non immeritò à Iehoua vehementer contendere, *Vt exurgat, ipsumq́, in pristinæ incolumitatis conditionem restituat deletis prorsus & perditis hominibus impijs.*

PSAL. XVIII.

1 *MAgistro Symphoniæ Psalmus Dauidis serui Iehouæ: qui elocutus est Iehouæ verba cantici huius, qua die eripuerat Iehoua eum è manu omnium inimicorum ipsius, etiam è manu Saulis:*
2 *Et dixit: Diligam te ex intimis visceribus Iehoua, qui es firmitas mea.*
3 *Iehoua est petra mea & propugnaculū meum, & liberator meus: Deus fortis meus, rupes mea: in eo sperabo: clypeus meus & cornu salutis meæ, editus locus meus.*
4 *Laudatum inuocaui Iehouam: & me ab inimicis meis seruauit.*
5 *Circundederunt me funes mortis: & torrentes sceleratorum terruerunt me:*
6 *Circundederunt me funes sepulchri: laquei mortis me assecuti sunt.*
7 *In angustia mea inuocaui Iehouam, & ad Deum meum clamaui. Exaudiuit è templo suo vocem meam: & clamor meus coram eo peruenit ad aures eius.*
8 *Tum contremuit & mouit se terra: fundamenta etiam montium commota sunt & concussa.*
Quia

Quia iratus erat.

9 *Ascendit fumus è naribus eius, & ignis consumens ex ore eius. Carbones inde succensi sunt.*

10 *Et demittens cœlos descendit: & caligo sub pedibus eius.*

11 *Et ascendit super Cherub & volauit: & euectus erat super alas venti.*

12 *Disposuit tenebras pro latibulo suo, pro tabernaculo circa se: id est, tenebrosas aquas, quæ sunt nubes aëris.*

13 *A splendore qui est ante eum nubes eius densæ transierunt. Grando & prunæ igneæ erant.*

14 *Intonuit in cœlis Iehoua: & Excelsus edidit vocem suam vnà cum grandine & prunis igneis.*

15 *Emisit sagittas suas & dissipauit illos: fulgura iaculatus est & fudit illos.*

16 *Conspiciebantur etiam imi aluei aquarum, & reuelabantur fundamenta orbis habitabilis, increpatione tua Iehoua, flatu spiritus nasi tui.*

17 *Extendens è sublimi, assumpsit me: extraxit me ex aquis multis.*

18 *Eripuit me ab inimico meo valentiore & ab osoribus meis, etiam tum cum essent robustiores me.*

19 *Præuenerunt me in die calamitatis meæ. At Iehoua erat mihi pro scipione.*

20 *Eduxit me in latum: liberauit, quia delectatus est me.*

21 *Tribuit mihi Iehoua secundum iustitiam meam: secundum puritatem manuum mearum restituit mihi.*

22 *Ob-*

22 *Obseruaui enim vias Iehouæ: neque improbè auerti me à Deo meo.*

23 *Quoniam omnia iudicia eius erant coram me: & statuta eius non amoui à me.*

24 *Et fui integer coram eo: & caui mihi ne iniquè agerem.*

25 *Restituit igitur Iehoua mihi secundum iustitiam meam, secundum puritatem manuum mearum coram oculis suis.*

26 *Benigno benignum te exhibes: viro integro integrum te exhibes.*

27 *Puro purum te præbes: & peruerso te persum exhibes.*

28 *Sic tu populum afflictum seruas: & oculos elatos deijcis.*

29 *Quin tu illustras lucernam meam: Iehoua Deus meus splendentes efficit tenebras meas.*

30 *Per te enim perrumpo turmam: & per Deũ meum transilio murum.*

31 *Huius Dei fortis integra est via: sermo Iehouæ purgatissimus est: clypeus est omnibus confidentibus in ipsum.*

32 *Nam quis est Deus præter Iehouam? & quis fortis præter Deum nostrum?*

33 *Hic Deus fortis est, qui accinxit me robore, & reddidit integram viam meam.*

34 *Disposuit pedes meos tanquam ceruarum: & in excelsis meis statuit me.*

35 *Docuit manus meas prælium: & frangitur arcus chalybeus brachijs meis.*

36 *De-*

36 *Dedisti etiam mihi clypeum salutis tuæ: & dextera tua sustentauit me: & mansuetudo tua adauxit me.*

37 *Dilatasti gressui meo locum meum: neque vacillarunt malleoli pedum meorum.*

38 *Persecutus sum inimicos, & assecutus sum eos: neque reuersus sum donec consumpseram eos.*

39 *Fregi eos, adeo vt non potuerint exsurgere. ceciderunt sub pedibus meis.*

40 *Accinxisti enim me robore ad prælium: incuruasti sub me insurgentes in me.*

41 *Fecisti etiam vt inimici mei terga verterint coram me: & osores meos deleui.*

42 *Vociferabantur, sed non erat qui seruaret: ad Iehouam, sed non exaudiuit eos.*

43 *Itaque contudi eos tanquam puluerẽ coram vento: velut lutum platearum calcaui eos.*

44 *Liberasti me à contentionibus populi. Disposuisti me in caput gentium. Populus quem non noueram, seruiunt mihi.*

45 *Ad auditionem auris obediuerunt mihi. Alienigenæ mentiti sunt mihi.*

46 *Alienigenæ defecerunt, & metu cohorruerunt è conclauibus suis.*

47 *Viuat Iehoua & sit benedicta rupes mea: & exaltetur Deus salutis meæ:*

48 *Deus ille fortis, qui præstat vltiones mihi: & adducit populos subter me:*

49 *Liberans me ab inimicis meis: etiam ab ijs qui contra me insurrexerant extulisti me: à viro violento*

violento eripuisti me.

50 *Idcirco celebrabo te in gentibus Iehoua, & nomini tuo psallam:*

51 *Magnificam præstare salutem omnimodam Regi suo: & exercere benignitatem erga Vnctum suum: erga Dauidem & erga semen eius vsque in seculum.*

ANALYSIS PSAL. 18.

Psalmi inscriptio versu primo continetur: Psalmi subiectum & subiecti explicatio reliquis versibus.

Psalmi inscriptio monet:

1. De *Psalmi efficiente, Dauide scilicet. Is autem è relatis describitur: vtpote qui Iehouæ, quem cœli & terræ Dominum esse constat, seruus appelletur: id est, is qui à Domino suo sceptrum accepit, vt eidem pro Regij muneris ratione fideliter inseruiret.*
2. De *Symphoniæ magistro, cuius fidei committitur Psalmus vt decantandum curet.*
3. De *eo, in cuius laudem Psalmus à Dauide pronuntiatus est. Sic enim clausulam illam, Elocutus est Iehouæ, interpretor: id est, in honorem Iehouæ.*
4. De *adiuncta circumstantia temporis, quo Psalmum hunc meditatus est & concinuit. Id autem tum fuit, postquam fusis hostibus & externis & domesticis, nominatim verò Saule prostrato & profligata factione ipsius, liber ab omni metu periculi & tumultus siue intestini siue aliunde accersiti conquieuit.*
5. De *causa, qua adductus Propheta se ad tā excellentis cantici meditationē retulit. Ea vero fuit suscepta à Dauide multiplicium liberationum diuinitus acceptarum contemplatio: vt cōstare potest ex inscriptionis allatæ postrema clausula.*

Quod ad Psalmi subiectum attinet: illud professione quadam totum vertitur, ornandi ac celebrandi nomen Iehouæ. Ac vt seriò ad hoc munus non aliqua officij simula-

tione accessisse videatur, exponit singillatim partes honoris ac gloriæ, quam se Iehouæ tributurum profitetur. Partes sunt professio

1. *Diligendi Iehouam summo cordis affectu*. ver. 2.
2. *Collocandi in ipsum solum spem omnem opis & gratiæ*. ver. 3.
3. *Diuulgandi apud alios & publicandi res ab ipso gestas, vt neminem latere queant*. ver. 50. Hic versus non modò professionem Dauidis complectitur de publicanda apud alios gloria Iehouæ, sed vaticinium insuper de vocatione Gentium. Vide Rom. cap. 15 9.

Partes istæ honoris, quo prosequi Iehouam & ornare vult Propheta, hoc volunt in genere, ad hanc summam scilicet reuocatæ:

Ego tribuam Iehouæ honorem & gloriam. ver. 47. 50.

Subiectum Psalmi hac summa generatim comprehensum, proponitur versu quadragesimo septimo: vbi in hunc modum loquitur Propheta: *Viuat Iehoua: & sit benedicta rupes mea: & exaltetur Deus salutis meæ*. Hæc vita, hæc benedictio, hæc exaltatio Iehouæ existit & quasi succrescit è partibus illis gloriæ & honoris, quas supra exposui. Nam dum actionibus hisce præclaris *Diligendi scilicet Iehouam, Collocandi in ipsum spem omnem opis & gratiæ, Diuulgandi denique apud alios res ab ipso gestas*, alimus gloriam Iehouæ illiusque memoriam studiose colimus: tum demum viuere Iehoua, tum benedici, tum exaltari dicitur. At contrà, si excellentes illæ actiones & honoris diuini partes vel penitus omissæ conciderint vel ad tempus intermissæ substiterint: videtur quasi interijsse Iehoua, & ex hominum memoria excidisse: videtur non exaltari, sed humi stratus misere iacere: videtur denique non benedici à nobis, sed orbatus ornamentis iustissimi honoris excipi indignissimè.

Quemadmodum igitur in specie argumentum Psalmi, professione quadam continetur diligendi Iehouam ex corde, collocandi in ipsum solum spem omnem opis & gratię, denique publicandi apud alios res ab ipso præclarè gestas: sic in genere subiectum Psalmi (vt supra monui) huiusmodi est:

Ego tribuam Iehouæ honorem & gloriam. ver. 47. 50.

Verumenimuero, quid illud tandem est, quod Prophetam ad tam insignem professionem impulit celebrandi nomen Iehouæ? certè recordatio beneficiorum, quibus ipsum affecit Iehoua, vt liquet è vers. 48. 49. 51. Sic igitur ab effectis Iehouæ disserit:

Tu me Iehoua contra omnes hostium meorum impetus tutatus es: simulq; in me multiplicium & illustrium fœlicitatum ornamenta contulisti. ver. 2. 48. 49. 51. His versibus summatim repetitur, quod ante expositum est vberius.

Tribuam itaque nomini tuo omnem honorem & gloriam, id est, *diligam te ex corde: in te solum fiduciam meam reponam: & res abs te gestas passim diuulgabo.* vers. 47. 50.

Enthymematis antecedens constat duobus membris. Prius illud de conseruato Propheta & tecto contra impetus hostium pluribus versiculis tractatur vberius, à principio nempe secundi ad finem ver. 18. Versiculo secundo, quam Dauidi præstitit Iehoua protectio, hisce verbis notatur: *Qui es firmitas mea:* id est per metonymiam efficientis, cuius potentia & robore tutus sum & incolumis, vtcunque me inimici mei summis viribus & acerrimo odio persecuti sint. Secundus igitur versiculus & membrum prius antecedentis & conclusionem inde deductam complectitur. *Tu es* (inquit) *is, cuius potentia tutus sum aduersus omnes hostium meorum impetus. Ac proinde te Iehoua summo cordis affectu diligam.* Conclusione vnam duntaxat partem honoris, quem se Iehouæ delaturum esse profitetur, videmus comprehendi. Sed ex tropo partes reliquæ intelligendæ sunt. Iam vero quemadmodum versiculo secundo & deinceps, antecedentis prius illud membrum de tecto Propheta aduersus hostiles impetus proponitur: sic membri huius illustratio varijs modis perficitur:

1. *A comparatis similibus.* vers. 3. Vbi Iehoua in hoc præstitæ defensionis actu comparatur cum petra, propugnaculo, clypeo, cornu, edito persugij loco.

2. *A notatione causæ instrumentalis, qua adductus Iehoua incolumitatem Dauidi & salutem præstitit. Ea autem fuit adhibita à Dauide inuocatio Iehouæ, vnà cum acceptæ iam gratiæ prædicatione.* ver.4. *Laudatum* (inquit) *inuocaui Iehouam*: id est, postquam agnoui debere me Iehouæ plurimum propter meritum ipsius erga me multiplex & singulare, suppliciter ad eum confugi opemque imploraui. Huius inuocationis repetitio est vers.7. exornata à notatione temporis quo facta est, & effecti quod inde sequebatur.

3. *Ab exposita periculi adiuncta magnitudine, quod Dauidi ab hostibus (quos v.5. homines nequam ac sceleratos appellat) creatum est. Vt intentati periculi grauitatem exprimat, hostium suorum nefarios conatus & impetus quadruplici similium collatione describit.* vers.5. & 6. Vbi comparantur primùm funibus, quibus malefici ad mortem iudicis sententia condemnati & lictori seu carnifici ad luendum capitis supplicium traditi constringuntur. ver. 5. Deinde torrentibus, quorum tanta vis est vt quicquid occurrit, id omne dissipent & prosternant: tum vinculis & fascijs, quibus funera sepulchro imponenda inuoluuntur ac vinciuntur. vers. 6. Postremò laqueis & tendiculis, quibus animalcula, de quorum interitu cogitamus, irretiuntur & implicantur. vers. 6.

4. *A declaratione causæ principalis, cuius vi Dauide conseruato hostes profligauit ac contriuit Iehoua. Ea vero fuit non aliqua ab homine profecta vis aut stratagema, sed Iehouæ ipsius admirabilis & infinita potentia, quemadmodum disertis verbis exponitur.* ver. 17. 18. 19. 20.

Iam verò vt liquidò constare queat, Dauidis liberationem non fortuitò contigisse aut ab humanis viribus consilijsve profluxisse, sed Iehouam in eo liberando & hostibus ipsius proterendis infinitæ potentiæ suæ instrumento vsum esse: Iehoua vim exerens potentiæ suæ ad opem fidelibus & perniciem impijs afferendam, inductus à Propheta comparatur Iehouæ tempestatem vehementer formidabilem

excitanti

excitanti & continuò adhibenti ad idem conficiendum. Institutæ à Dauide comparationis summa huiusmodi est:

Quemadmodum Iehoua formidabilis cuiusdam procellæ excitatione suos antehac liberauit & ipsorum hostes deleuit. vers. 8. & inde vsque ad ver. 17.

Haud dissimiliter Iehoua vsus instrumento potentiæ suæ tanquam terribilis cuiusdam tempestatis inopinato & violento impetu, hostes meos pessumdedit meq; liberauit. ver. 17. 18. 19. 20, &c.

Propositio allatæ comparationis perillustri quadam descriptione continetur tempestatis à Iehoua eo consilio excitatæ, vt prostratis impijs salutem pijs largiretur. In tempestatis, de qua agitur descriptione notantur tria:

1. *Excitatio tempestatis*. v. 8. 9. 10. 11.
2. *Locus vbi residet Iehoua, dum tempestatis viribus id præstat quod vult.* ver. 12.
3. *Tempestatis excitatæ quasi in ipsam aciem productio.* ver. 13. 14. 15. 16.

Excitatio tempestatis describitur notatis partibus inductæ tempestatis, quæ sunt huiusmodi:

1. *Terræ concussio formidabils*. ver. 8.
2. *Crassæ Nubes*. ver. 9.
3. *Fulgura, & flammæ insuper permanentes.*
4. *Tonitru & grando.*
5. *Venti*. vers. 11.

Terræ concussio est amplificata partim à comparatis, partim ab efficiente.

A comparatis sic:

Fundamenta montium, id est, ea quæ maximè stabilia & firma sunt, quatiuntur & conuelluntur à Iehoua: vel si placet, fundamenta montium, id est, terræ partes excelsissimæ, dimotæ conuulsæq; sunt.

Mirum igitur videri non debet, si ea quæ infirmiora sunt, contremuerint & locis suis deturbata sint: seu, mirum non est, si terræ partes inferiores ad tremorem redactæ è natiuis sedibus se ad alias præcipitarint. Quæ hoc Psalmo appellantur fundamenta Montium, ea

2.Sam.22.nominantur fundamenta cœlorum: quia nempe, si montium altitudo spectetur, cœlum ijs inniti videri potest. Vnde non absque probabili ratione conijcimus, intelligi Psal.18. sub montium fundamentis, è synecdoche scilicet membri, montes ipsos, terræ nempe partes celsissimas.

Ab efficiente. Concussionis, de qua loquitur Propheta, tam horrendæ efficiens est Iehouæ ira iustissima aduersus terræ incolas ob ipsorum impietatem ac scelera. ver.8.

Quod ad Nubium excitationem attinet: ea ver 9. & 10. explicatur. Per fumum è naribus Iehouæ ascendentem significantur Nubes: quippe quæ crassiorem fumum, quē hominis vehementer irati & stomachantis nares exhalant, similitudine quadam referant. Versu decimo Nubium excitatio sub actionibus quibusdam Iehouæ per tropum attributis proponitur. Primò dicitur Iehoua cœlos demittere: id est, aereæ regionis partem quamuis opplere nubibus: quæ per metonymiam subiecti appellantur cœlorum nomine. Non enim cœli machina inclinatione facta se demittit inferius, sed quæ cœli inferioris ambitu continentur & dispergunter corpora. Deinde *descendere Iehouam* ait: non quòd actu descendat, sed quòd depressis in aeris inferiorem regionem & per eam vndiquaque dispersis nubibus, propius ad nos, demonstratione scilicet potentiæ suæ & habita ratione rei gerendæ accessisse videri queat: adeo vt descendere Iehoua ratione effecti sui non inscite dicatur, dum ab eo nubes deiectæ inferius passim transmittuntur & confluunt. Huic nubium tam frequentium & crassarum in aeris inferiorem regionem depressioni subijcitur amplificatio ab effecto mirabili, scilicet caligine inde oborta: ita vt lucem terræ incolis facilè interciperet. Caligo ista sub pedibus Iehouę esse dicitur, id est, inuasisse terram & operuisse, quam pedum Iehouæ scabellum nominat Scriptura.

Fulgurum excitatio & flammarum itidem permanentium versiculo nono proponitur. *Fulgur* nomine ignis consumentis appellatur: eò quod vi sua comminuat & proterat, si quid reluctetur. Exire dicitur ex ore Iehouæ, id est, modis

a

à Iehoua præſcriptis formari & effici. *Flammæ vero permanentes* à Propheta dicuntur ardentes prunæ: quippe quæ non eodem momento euaneſcant quo occurrunt, vt fulgura: ſed è craſſiori materia conflatæ tuentur ſe & ſubſiſtunt diutiùs.

De tonitruū & grandinis excitatione non ita expedita ratio eſt. Veruntamen cum ver. 13. & 14. vbi de tempeſtatis quaſi in mediam aciem productione agitur, vtrumque nominetur & tanquam ad dimicationem ineundam à Iehoua deducatur: non alienum fuerit ſi verſiculis ijs, qui de nubibus, fulgure, prunis ardentibus loquuntur, ac quibus aëris habitus incredibiliter turbulentus & ingruentium calamitatum minis horrendus efficitur, excitationem vtriuſque intelligendam eſſe dicamus: præſertim cum obſeruatio teſtetur cœli faciem huiuſmodi, eſſe gignendæ grandini & edendis fragoribus valde oportunam.

Ventorum concitatio traditur ver. 11. vbi Cherubinorum appellatio ventis tribuitur, id eſt, Angelorum. Quod ideo fit vt eorum peregregia vis & celeritas in te conficienda notetur. Quod vero alis inſtructi dicantur, id etiam non vulgare argumentum eſt mirificæ celeritatis. Sed ventorum excitatio deſcriptione quadam ſignificatur Iehouæ parantis ipſos & diſponentis ad functionem impoſiti muneris. Videamus ergo deſcriptionem iſtam. Primò dicitur ſuper Cherubinos Iehouam aſcendiſſe: deinde vt conſtet quid ſibi velint Cherubini & quo conſilio ipſis inſideat, ſtatim ſubjicitur euectum eſſe ſuper alas ventorum: & verſiculi vndecimi medio de volatu Iehouæ meminit Propheta. *Aſcendit* (inquit) *ſuper Cherubinos & volauit:* id eſt, *ventos* iam creatos ad aërem flatibus violentioribus turbandum ac concutiendum dimiſit. Iehoua igitur ventos excitans & ad iniunctum munus obeundum diſponens, comparatur Iehouæ in ventos tanquam in equum generoſum & militarem aſcendenti. Nam vt aſcenſu noſtro in equum, ſignificamus inſtructum eum eſſe ad id præſtandum quod volumus: ſic cum aſcendiſſe Iehouam ſuper ventos & euectum eſſe ſuper ipſorum alas aſſeritur, ſubinde occurrit & cogitatione apprehendi-

tur, ventos à Iehoua ad cooficiendum quid excitatos esse & paratos.

Excitationem tempestatis videmus tractatam esse à Propheta quatuor versibus, nimirum ver. 8. 9. 10. 11.

Locus sequitur, vbi residet Iehoua dum excitatæ tempestatis impetu hostes suos prosternit. Pro loco igitur vnde id præstiturus est, aëris nubes Iehouam sibi delegisse constat è versu duodecimo. Vbi dicitur Iehoua nubes aëris, quæ & tenebræ & aquæ tenebrosæ nominantur, ad duplicem vsum disposuisse, alium nempe quasi conclauis cuiusdam seu interioris cameræ, alium vero tanquam militaris tabernaculi. Vult Iehoua nubes esse sibi instar secretioris cuiusdam conclauis, vt lumen vultus sui & gratiosissimæ præsentiæ testimonia incolis terræ, hominibus scilicet nefarijs intercipiant. Atque hinc est quòd nubibus nomen tenebrarum tribuatur. Vult porro Iehoua præstari sibi à spissis illis & tenebricosis nubibus commoditatem quasi militaris tabernaculi, vbi pro tempore prælij aduersus hostes suos initi consistens, possit inde tanquam è locis vicinis potentiæ suæ vim profundere ad salutem piorum & impiorum interitum.

Restat excitatæ tempestatis quasi in aciem & ipsum certamen productio. ver. 13. 14. 15. 16. Hisce versiculis igitur Iehoua ab effectis descriptus inducitur:

1. *Perrumpens nubres splendore Maiestatis suæ.* vers. 13. in principio.
2. *Iaculans grandinem & prunas igneas.* ver. eod.
3. *Formidabili fragore intonans & simul grandine flammisq; ardentibus permiscens omnia.* ver. 14. Vbi tonitru vox Iehouæ dicitur.
4. *Intorquens fulmina & fundens hostes suos.* ver. 15. Vbi coniecta ab Excelso fulmina sagittis comparantur.
5. *Retegens alueos fluminum & maris, immo hominum oculis conspicua reddens ipsius terræ fundamenta, vt eo maior hominibus nequissimis terror incutiatur.* ver. 16. Vbi rei à Domino gestæ amplificatio est ab efficiente causa: quam constat esse Iehouæ iram. Quid enim aliud Iehouæ increpatione & spiritus flatu profuso è naribus signifi-

significari potest? Nam huiusmodi effecta sunt animi æstu iracundiæ concitati indicia. Hanc ego interpretationem non illibenter sequor, vtpote Prophetæ consilio valde consentaneam in hac tam magnifica descriptione tempestatis: quam à Iehoua indignante & stomachante excitari, atque etiam aduersus hostes suos explicari vult, vt liquet è vers. 8.

Propositio comparationis adhuc fuit, à principio scilicet versus octaui ad exitum ver. 16.

Redditio comparationis superest, tractata copiosè, ab initio nempe ver. 17. ad ver. 29. Tot enim versibus acceptæ à Iehoua potentiam exerente ad improborum interitum, liberationis suæ narrationem complexus est Propheta. Prophetæ liberatio ver. 17. proposita & deinceps alijs versibus repetita, variè amplificatur:

1. *A subiecto loco, vnde Iehoua admirabilem illam in Prophetæ sui liberatione potentiam exeruit.* ver. 17. in principio. Vbi è sublimi, id est, cœlis extendisse Iehoua manum suam & Prophetam liberasse dicitur.
2. *A Simili.* ver. 17. in fine. Vbi Prophetæ liberatio extractioni ex aquis, quibus facillimè quis obruitur, scitè comparatur.
3. *A temporis adiuncta circumstantia, quo perfecta est liberatio: id autem tum fuit, cum Prophetam homines improbi viribus longissime superarent,* vers. 18.
4. *A diuersis.* ver. 19. Irruerunt (inquit) in me & circumuentum vndique tenuerunt: Attamen me Iehoua è periculis imminentibus eripuit. Enuntiati huius pars prior habet exornationem ab adiuncto tempore. Irruerunt (inquit) in me in die calamitatis meæ, id est, cum rebus afflictissimis vterer.
5. *A similitudine.* ver. 19. in fine. Vbi scipioni, cuius adminiculo sustinetur quis ne cadat grauius, Iehouæ potentia in liberatione Dauidis adhibita confertur.
6. *A similitudine, qua Prophetæ liberatio è periculo mortis liberationi è singularibus loci alicuius angustijs in locum amplum nullis cancellis aut obstaculis circumscriptum comparatur.*

paratur. ver.20,

7. *A causis, quæ Iehouam impulerunt, vt Dauidi opem ferret hostesq; ipsius dissiparet. Causa duplex tam admirandi erga Dauidem beneficij notatur:* viz:

1. *Gratuitus Iehouæ erga Dauidem amor*. vers. 20. in fine.
2. *Habita ratio à Iehoua ad innocentiam Prophetæ in ijs, quorum nomine ipsum tam incredibili odio prosecuti sunt*. ver. 21. 25.

Ac ne ipse sibi assentari vel alijs illudere existimetur, dum se à Iehoua vindicatum à periculis & incolumitati restitutum asserit, habita nimirum ratione ad integritatem ipsius; non alienum esse duxit illustri argumento idipsum euincere, concluso in hanc formam:

Qui integri sunt ac liberi à criminibus obiectis, cum ijs, siquando immerito periclitentur, agit Iehoua secundum innocentiam ipsorum dum ipsos liberat. ver. 26. 27. 28.

At ego integer eram & liber ab ijs criminibus quæ in me contulerunt, ver. 22. 23. 24.

Mecum igitur Iehoua, cum immerito periclitarer, secundum innocentiam meam egit liberans me ab interitu. vers. 21. & 25.

Huius syllogismi, quem partibus omnibus instructũ exhibuit Propheta, conclusio proposita primò est: deinde assumptio: tum demum propositio.

Assumptioni attexitur illustratio ab excellenti actione & munere quo defungi Propheta solebat:

Ego (inquit) *semper legem tuam meditabar: ea mihi ob oculos perpetuò versabatur*. ver. 23.

Itaque integrum ipse me liberumq; præstiti ab ijs criminibus quorum accusor. ver. 22. 24.

Propositio syllogismi, prout monui, postremum locum obtinet. viz. vers. 26. 27. 28. Vbi disertis verbis asseritur, Iehouam benigno se benignum exhibere: integro integrum, & puro purum: id est, ijs omnibus, qui ex integritate cordis ac studio quodam complacendi Iehouæ funguntur officijs iustitiæ in communi vitæ consuetudine, incolumitatem & suauissima subsidia largiri, siquando versentur in

discrimine,

discrimine. Hanc esse versuum istorum sententiam, apparet è versiculo vicesimo octauo, qui est versuum præcedentium interpres optimus. *Tu* (inquit) *populum afflictum seruas & oculos elatos deyicis:* id est, *serui tui*, ij nempe qui iustitiæ vias consectantur, oppressi interim ab impijs, & qui ver. 26. ac 27. *benigni, integri, puri vocantur*, eam apud te gratiam consequentur vt siquando hostium suorum scelere in extremum discrimen conjiciantur, incolumes tamen euasuri sint. Atqui verò improbi, qui ver. 28. ex arroganti & elato supercilio ad notandam cordis superbiam describuntur, frangentur & concident: quippe cum iustitiæ diuinæ consentaneum sit id efficere, vt vnusquisq; operum suorum mercedem auferat. Intelligimus iam ex ijs, quæ proposita sunt, allatæ propositionis sententiam.

Sed adiunxit propositioni amplificationem Propheta, comprehensam versiculi vicesimi septimi extrema clausula, & posteriori inciso ver. 28. repetitam. Amplificatio est à collatione contrariorum:

Iehoua impios coercebit & prosternet. ver. 27 & 28. in fine vtriusque Quod ver. 28 de impiorum subuersione dicitur, adiectum videtur ad id explicandum, quod de pœna hominis peruersi. ver. 27. continetur.

Itaque gratiam ac salutem hominibus pijs largietur. ver. 26. 27. 28.

Versu 27. ait Propheta Iehouam *peruerso se peruersum exhibere*, id est, agere cum eo pro ratione ac merito refractariæ in ipso naturæ & singularis contumaciæ: id autem fit, cum dejicit ipsum de statu suo Iehoua & grauissimis supplicijs afficit. Loquendi formula adhibita à Dauide minime significat inesse in Iehoua peruersum quid & contumax sed comparatè & è similitudine quadam hoc tantùm arguit, ac si nimirum diceretur: Quemadmodum is, qui se contumaciter aduersus proximum suum peruerseque gerit, exercet in ipsum vim conceptæ iracundiæ: sic cum ait Propheta peruersè agere Iehouam cum peruerso, aliud nihil intelligi vult quàm ad morem & similitudinem hominum peruersorum & contumacium, iræ suæ vim in homines nefariæ

fariæ & profligatæ vitæ effundere.

Hactenus, à principio scilicet. ver. 2. ad ver. 29. de multiplici è periculis liberatione, quam à præpotente Domino accepit Propheta, ad illustrandam Iehouæ gloriam copiose & luculenter peroratum est.

Consequens est vt Dauidem accepta à Domino illustrium fœlicitatum ornamenta prædicantem audiamus.

Illustres illæ fœlicitates primùm proponuntur in genere: deinde explicantur in specie.

In genere proponuntur ver. 29. *Quinimò* (inquit) *tu illustras lucernam meam & splendentes efficis tenebras meas*, id est, fœlicitatis conditionem illam, quam varijs liberationibus à te acceptis consecutus sum, longè illustriorem reddidisti, ijs sublatis impedimentis, quæ tenebrarum instar, quo minus concessæ abs te dignitatis splendore fruerer, obstare videbantur.

Sed quæ sunt illa, quibus illustrior reddita est Prophetæ è grauissimis periculis liberati conditio? Insignes illę fœlicitates, quarum accessione longe ornatior euasit & magnificentior Prophetæ conditio, sunt triplices:

1. *Multiplex victoria.* ver 30. ad ver. 44.
2. *Propagatio imperij victorias subsecuta* ver. 44. 45. 46.
3. *Multiplicis gratiæ in Dauidis personam collatæ ad ipsius posteros transmissio.* ver. 15.

Quod ad multiplicem victoriam attinet, eam obtinuit Dauid contra hostes partim externos, partim domesticos.

De victoria reportata aduersus hostes externos loquitur ver. 30. *Per te* (inquit) *perrupi turmam & murum transilio:* id est, hostium instructas acies expugnaui, vrbesque muris septas & ad omnes impetus egregiè munitas facillimè cepi Caput istud de fusis hostibus & partis victorijs est à Dauide ad diuini nominis gloriam pluribus versiculis dispersum & repetitum, sed variè insuper amplificatum: viz.

1. *A principali efficiente & authore victoriæ: is autem est Iehoua. Hinc est quòd singulis ferè versibus reportatæ victoriæ gloriam Iehouæ tribuat.* vide ver. 30. 33. 34. 35. 36 37. 40. 41. 44. 48. 49.

2. Ab-

2. *Ab adiuncta excellentia rationis ac modi, quo in Dauidis gratiam effecta victoria est à præpotente Deo.* verſ. 31. *Vbi viā Dei fortis integram eſſe Pſalmiſta prædicat.* Vix nomine rationem intelligit adhibitam à Iehoua exſoluendæ promiſſionis qua ſe Dauidi de hoſtibus vincendis obſtrinxit. Hanc rei efficiendæ rationem integram eſſe monet, id eſt, ſic omnibus numeris abſolutam, vt nulla vi retardari, nullo conſilio aut fraude intercipi poſſit. Ac ne imponere nobis videatur Pſalmiſta dum tantopere ornat eam, qua vſus eſt Iehoua, rationem fidei liberandæ erga Dauidem de concedendis aduerſus hoſtes victorijs: duplici argumento docet, viam iſtam ſeu rationem, de qua inſtituitur ſermo, eſſe eiuſmodi vt ei nunquam ſuccedat infœliciter, ſed propoſito euentu ſemper potiatur. Sic igitur primo loco diſſerit Propheta:

Arg. 1. *Iehouæ promiſſio ſic firma eſt vt nunquam fallat.* verſ. 31. in medio. Vbi diuina promiſſio comparatur argento excocto & defæcato, in quo nihil adulterini ineſt.

Ratio igitur adhibita à Domino præſtandi promiſſi, quo ſe Dauidi obſtrinxerat de victorijs aduerſus hoſtes, integra eſt ac libera ab omni incerto & fallaci euentu. verſ. 31. in principio.

Enthymematis pars antecedens in hunc modum confirmata eſt:

Si Iehouæ promiſſio non ſit libera ab omni fallaci euentu, ſed anteuerti poſſit & intercipi: non poteſt iure aſſumere ſibi Iehoua id gloriæ, vt vindex defenſorq́ habeatur omnium, qui ipſius de ope & gratia promiſſionibus nituntur.

At poteſt iure aſſumere ſibi Iehoua eam gloriam, vt vindex defenſorq́ cenſeatur omnium, qui ipſius de ope & gratia promiſſis nituntur. ver. 31. in fine.

Ergo Iehouæ promiſſio libera eſt ab omni fallaci euentu, nec eam quid fruſtari poteſt. ver. 31 in medio.

Secundo loco, ad rationem collaudandam, qua vſus eſt Iehoua, dum fidem ſuam de concedendis Dauidi victorijs

liberat, sic disputatur:

Arg. 2. *Si rationem adhibitam à Domino præstandi promissi, quo se Dauidi obstrinxerat de victorijs concedendis, intercipere quid possit & eludere: tum existeret quispiam præter Iehouam maximæ ad quemuis conatum frustrandum potentiæ ac roboris.*

At non est præter Iehouam quis maximæ ad conatus frustrandos potentiæ ac roboris. ver. 32.

Itaque adhibitam à Domino rationem præstandi promissi, quo se Dauidi obstrinxerat de victorijs largiendis, nibil eludere potest aut intercipere. ver. 31. in principio.

Exposita præstantia viæ ac rationis, quam adhibuit Iehoua in prosternendis hostibus Prophetæ, redit Psalmista ad institutam de partis victorijs orationem. Tertio igitur loco additur amplificatio.

3. *A causa intermedia & minus principali adeptæ multiplicis victoriæ. Ea autem in Dauide fuit singularis animi magnitudo, qua instructus à Iehoua in aciem contra hostes processit.* ver. 33 in principio Vbi tributam ipsi à Iehoua animi excelsi & inuicti robur balteo militari comparat.

4. *Ab adiuncta facilitate vincendi.* vers. 33. in fine. *Et viam meam* (inquit) *integram reddidit*: id est, ita mecum egit Iehoua, dum in campo & acie versabar, vt nullis occurrentium difficultatum molestijs implicatus, facilè quod volebam consequerer.

5. *Ab adiuncta celeritate victorias consequendi.* vers. 34. Vbi in re gerenda, in propugnaculis scilicet hostium occupandis celeritatem suam pernicitati ceruarum comparat. Excelsorum nomine de quibus versiculus iste meminit, propugnacula & arces munitæ significantur.

6. *Ab adiuncta scientia rei militaris, & corporis incredibili firmitate, quam à Domino ad belli obeunda munera accepit.* vers. 35.

7. *Ab adiuncta immunitate sua à periculis, vtcunque in ipso dimicationis æstu hostium telis obiectus consisteret.* ver. 36.

Vbi

Vbi incolumitatis & salutis suæ gloriam ascribit Iehouæ: & se diuina clementia adauctum esse prædicat, id est, viribus & successu aduersus hostes suos valuisse.

8 *Ab euentu congressus militaris seu effecto finito.* ver. 37. *Dilatasti* (inquit) *gressui meo locum meum:* id est, quotiescunq; in aciem prodij ad manum cum hostibus conserendam, toties eos loco & statione cedere coegi: adeo vt nullis locorum angustijs conclusus liberè cum exercitu meo & quaquauersus spatiarer.

9. *Ab adiuncta immunitate defatigationis & infirmitatum quæ è labore militari solent existere.* ver. 37. in fine.

10. *A destinatis ad finem.* ver. 38. 39. 40 41. 42. 43. Etenim susceptæ à Dauide actiones, quibus hostium copias in fugã coniectas persecutus est, fregit & tanquã puluerem contudit, erant expeditissimæ rationes ad consequendam victoriam destinatæ. Pro destinato etiam ad victoriã obtinendam interpretor hostiũ desperatam conditionem illam, orbatam scilicet & prorsus destitutam omni subsidio tam diuino quàm humano. Quod ad diuinum subsidium attinet: constat è ver. 42. nihil opis diuinitus expectandum ab illis esse, vtpote quorum supplicationes penitus reiecerit Iehoua. Ac quæ tandem ab homine auxilij spes ijs potuit esse, quos armis persequebatur hostis tam potens & auspicijs Iehouæ in re gerẽda tam fortunatus, vt ad nomen ipsius finitimæ gentes contremiscerent & de deditione cogitarent? Sed dum totidem versiculis media ad victoriam destinata commemorantur: facere non potuit Propheta quin de principe causa partæ victoriæ interea loqueretur. Hinc est quòd ver. 40 & 41. solum Iehouam authorem agnoscat tantæ in bello fœlicitatis.

De victorijs aduersus hostes externos partis disseruit adhuc Propheta. Quemadmodum ei contra hostes domesticos successerit iam videamus. Non hîc rem gestam vberiori oratione persequitur: sed eandem paucis proponit.

Liberasti (inquit) *me à contentionibus populi.* ver. 44. Non est

est obscurum quas conspirationes & turbas Saulis factio dederit: quas etiam tragedias & tumultus Abſalomus aduersus patrem excitauerit. At hæ turbæ & tragediæ, quibus Dauid in discrimen capitis & ſceptri coniectus est, diuinitus ſedatæ & consopitæ ſunt: id quod hoc versu agnoſcit Propheta Ac proinde ad nominis diuini gloriam prædicat debere ſe Iehouæ ſoli ſuam à populi contentionibus liberationem.

Multiplicis victoriæ, quam concessit Dauidi Iehoua peracta narratione: ſequitur alterius insignis fœlicitatis in Dauidē collatæ historia. *Ea vero est imperij propagatio partas victorias ſubſecuta.* ver. 44. 45. 46.

Imperij propagatio deſcribitur à Propheta

1. *E cauſis, principali ſcilicet & instrumentali. Cauſa principalis propagati imperij Iehoua efficitur. Disposuisti* (inquit) *me in caput gentium:* id est, *non ſolum me inter Iſraelitas ad regiæ maieſtatis ſedem extulisti, ſed etiam varijs gentibus præfeciſti, redactis ſcilicet per te in poteſtatem meā. Cauſa instrumentalis, qua adductæ finitimæ nationes ſe imperio Dauidis ſubiecerunt, duplex notatur: Nominis ſiquidem celebritas, quam è rebus præclarissimè geſtis aſſecutus est Dauid: & grauiſſimus metus impendentis periculi, ſi qui deditione detrectata obsisterent. Quòd gentes Dauidici nominis celebritate & fama permotæ, Dauidem pro rege ſuo agnouerint*, teſtatur verſus 45. *Quòd grauiſſimo metu periculi è dilata aut recuſata deditione ſecuturi, gentes aliæ ſe regis Iſraelitici ſceptro ſubmitterent*, docet verſus 46. Vbi qui latebris & propugnaculis incluſi delituerunt, dicuntur metu percuſſi ex eiſdem prodijſſe & ſupplices Dauidi occurriſſe.

2. *E ſubiectis. Propagatio imperij fuit in populum alienum, qui antea ſui iuris erat, nec eiſdem legibus, quibus populus Iſraelis aut religionis profeſſione deuinciebatur. Is tamen ſe Dauidis imperio adiūxit vt à tanto ac tam illuſtri principe regeretur. Sed præſtitæ ab alienigenis iſtis ſubiectioni additur exornatio ab adiuncta ſimulatione ſubiectionis. Alienigenæ* (inquit) *mentiti ſunt mihi:* id est, ſe mihi

ſubiecerunt

subiecerunt non alacri & integro animi affectu, sed fucato & ementito obsequio, prout fieri solet in noui imperij accessione.

Restat è triplici fœlicitate, cuius addito splendore Dauid extitit longe illustrissimus, postrema illa, nempe *Multiplicis gratiæ* in Dauidis personam collatę ad ipsius posteros transmissio, ver. 51. in fine.

Quod ad versiculos præcedentes attinet, viz. 47. 48. 49. 50. 51. illis complexus est Propheta partim Psalmi totius subiectum, *professionem scilicet tribuendi honorem & gloriam Iehouæ*. ver. 47. & 50. partim institutæ professionis summam rationem & fundamentum, *contemplationem nempe beneficiorum à Iehoua acceptorum*. v. 48. 49. 50. 51. Accepta à Domino beneficia duo in genere sunt: *Conseruatio nimirum Prophetæ aduersus pericula, & illustriū insuper fœlicitatū ornamenta. Conseruatio Prophetæ est*. ver. 49. & 51. Illustres illæ fœlicitates sunt partim victoriæ & propagatio imperij ver. 48. & in principio. v. 49. ac 51. partim gratiæ præstitæ communicatio cum Prophetæ posteris. ver. 51. in fine. *Conseruatio Prophetæ, victoriæ & imperij propagatio Descriptione Dei illius*, quem sibi Propheta celebrandum proponit, comprehenduntur v. 48 49. Præstitæ gratiæ communicatio pars est subiecti de quo Dauid psallere instituit ver. 51.

PSAL. XIX.

1 *MAgistro Symphoniæ Psalmus Dauidis.*
2 *Cœli enarrant gloriam Dei fortis: & opus manuum eius indicat expansum.*

3 *Dies diei eructat sermonem: & nox nocti ostendit scientiam.*

4 *Non est sermo, neque verba eis: & sine hijs intelligitur vox eorum.*

5 *In omnem terram prodeunte delineatione eo-*

rum, simul prodierunt in extremitatem orbis habitabilis sermones eorum. Soli disposuit tentoriũ in eis.

6 *Et ipse est tanquam sponsus prodeuns è thalamo suo: lætatur tanquam vir robustus decursurus viam.*

7 *Ab extremitate cœlorum exortus eius: & reuolutio eius ad extremitates eorum est. Nec est quod abscondatur à calore eius.*

8 *Doctrina Iehouæ perfecta est, restituens animam: testimonium Iehouæ verax, sapientiam afferens imperito.*

9 *Mandata Iehouæ sunt recta, lætificantia animum: præceptum Iehouæ purum, illuminans oculos.*

10 *Timor Iehouæ sincerus, consistens in æternũ: iudicia Iehouæ sunt ipsa veritas: iusta sunt pariter:*

11 *Desideratissima: desiderabiliora auro & quidem auro purgatissimo quamplurimo: ac dulciora melle & quidem acato melle.*

12 *Etiam seruus tuus illis circumspectus redditur: in eorum obseruatione retributio multa.*

13 *Quis est ille qui errores suos intelligat? me ab occultis absolue.*

14. *Etiam à contumaciis subtrahe seruum tuum, ne dominentur in me: tunc integer & insons ero à defectione magna.*

15 *Sint accepti sermones oris mei, & meditatio animi mei coram te, Iehoua rupes mea & redemptor mi.*

ANALYSIS PSAL. 19.

De inscriptione supra diximus. Psalmi partes, prout versiculo

ſiculo decimoquinto admonemur, duæ ſunt: altera, inſtituta à Dauide meditatio: precatio altera.

Meditatio præcedit, comprehenſa verſibus vndecim: à principio ſcilicet ſecundi ad finem duodecimi. Reliqua Pſalmi pars precationi tribuitur.

Meditationis inſtitutæ ſubiectum eſt duplex: prius de Iehouæ gloria relucente in creata ab ipſo cœli machina: de verbi diuini præſtantia poſterius.

Prophetæ de excellenti illa Dei gloria meditanti hæc quæſtio diſceptanda proponitur:

Cœli gloriam Iehouæ prædicant. verſ. 2.

Ad huius quæſtionis explicationem, Propheta notatis medijs & quaſi inſtrumentis quibus vtuntur cœli in prædicatione diuinæ gloriæ, ſic diſſerit:

Cœli annunciant hominibus cuius vi & quàm admirabili artificio conſtituti ſunt: inducta ab ipſis dierum & noctium perpetua ſucceſſione de bonitate Iehouæ concionantur: denique Sole mediante de eadem loquuntur. v. 2.3.4.5.6.7.

Itaque cœli gloriam Iehouæ prædicant. verſ. 2.

Antecedente Enthymematis comprehendi videmus membra tria.

Primum eſt verſ. 2. in fine.

Secundum verſ 3.4. & verſ. 5. in prior. par.

Tertium verſ. 5.6 7.

Quod ad primum antecedentis membrum attinet, de eo ſic loquitur Pſalmiſta: *Opus manuum eius indicat expanſum.* Hiſce verbis & cœleſtis machinæ efficientem & creatæ machinæ admirabile ac ſingulare artificium notari contendo. *De efficiente,* apertam rem eſſe & minime controuerſam fateri neceſſe eſt, cum diſertè affirmetur palàm ab expanſo prædicari, eſſe ſe opus Iehouæ ipſius manibus efformatum. De adiuncti artificij præſtantia, quæ in cœlorum fabrica elucet admirabiliter, ambigi fortaſſe poteſt an de ea loquatur Propheta. Sed intuenti verba Prophetæ accuratius ſtatim occurret, nihil penè exploratius eſſe quàm illud Dauidem velle, vt notari putemus ab eo, quàm incredibili elegantia & artificio in cœlorum ſtructura vſus ſit Iehoua.

 Nam

Nam dum refert fuisse cœli machinam Iehouæ ipsius manibus coagmentatam, num vulgare quid & petitum è triuio nocat, an quiddam potius tanto artificio & expolitione conformatum, vt nihil cogitari possit admirabilius? Hinc est quod Psal.8. cœlos appellet *opus digitorum Iehouæ*: id est, opus tam scitè & concinnè fabricatum, vt nihil exquisiti artificij aut elegantiæ vspiam fuerit, quod non in ipsum videatur transfudisse.

Secundum antecedentis membrum est de ordinata dierum ac noctium successione. Per eam quomodo cœli de Iehouæ gloria concionentur inquiramus. *Dies* (inquit) *diei eructat sermonem: & nox nocti ostendit scientiam*: id est, dies diei interposita nocte succedens perenne & copiosum argumentum ad nomen Iehouæ ornandum suppeditat. Hoc illud est quod eructandi metaphorâ significatur, sumpta à fontium perenniter & vbertim fluentium scaturigine. Vt enim fons perennis abunde & absque intermissione aquas profundit: sic continua dierum & noctium successio quasi syluam quandam & infinitam materiem suggerit ad texendum de Iehoua panegyricum. Sed quibus tandem modis materies ista diuinæ laudis suggeritur? inde certè, quod successione ista cœli pulchritudo, orbium cœlestium & syderum varius cursus, statæ ac distinctæ cuiusuis anni tempestates, oportuna tempora laboris & quietis obseruentur ab hominibus & dignoscantur. Atque hæc est illa scientia quam tradunt cœli: hæc concio quam habent de Iehouæ admirabili potentia, sapientia & bonitate. Vt enim potentiæ & sapientiæ infinitæ fuit tantum splendoris, tam discrepantes cursus, tam concitatos motus, tam incredibiles & salutares virtutes, tam excellentem facultatem discriminandi opportunitates & tempora, in cœlestem machinam illigare: sic non minus immensæ bonitatis fuit hæc omnia ad humani generis vsum creare ac transferre.

Quod de promulgatione diuinæ laudis habita à perpetua dierum & noctium successione dicitur, id amplificatum reperiemus,

Primum à Diuersis, sic:

Etiamsi

Etiamsi noctes & dies linguæ beneficio destitutæ sermone non vtuntur hominum more; tamen exauditur ab hominibus & intelligitur vox earum. vers. 4. Est autem vox ista qua dierum & noctium successio vtitur, nihil aliud quàm cœlestium sphærarum fabrica insignis, excellens pulchritudo, motus & conuersiones admirabiles, è luce & motu incredibiles virtutes ac temporum discriminatio.

Deinde ab adiuncto temporis & à subiecto loco. vers. 5. Vbi in hanc sententiam loquitur Propheta: *Prædicatio ista diuini nominis, quam diei & nocti attribuimus, non est illa quidem noua & nuper cœpta, sed inde ab initio creationis, vt primùm scilicet cælorum aspectabilis delineatio & descriptio prodijt, extitisse comperietur, nec alligata certis locorum regionibus & definita, sed per omnes vniuersi partes transmissa.*

Restat antecedentis membrum tertium de Sole. Solis concio de laudibus Iehouæ, ita aperta est & illustris, vt ab omnibus animo & intelligentia facilè comprehendi posiit. Id ita esse, è Solis descriptione adhibita constabit. Descriptio Solis est:

1. *A subiecto loco, in quo est à præpotente Deo collocatus.* ver. 5. Vbi est exornatio à collatione similium. Comparatur siquidem illa sedes Soli assignata magnifico palatio seu tentorio.
2. *Ab adiuncta dignitate & ornatu.* ver. 6. Vt Solis ornatum splendidissimum esse constet, similitudinem adhibet, in qua Solem confert cum sponso. *Vt* (inquit) *prodeuns è thalamo sponsus, apparatu nuptiali totus splendet oculosq; omnium in se conuertit: sic prodeuns Sol ad terram luce sua collustrandam, ita claritate & fulgore præstat, vt eo nihil cogitari possit ornatius aut splendidius.*
3. *Ab adiuncta in cursu celeritate & indefatigatione.* vers. 6. 7. Vbi similitudine ducta à cursoribus, qui olim quadrigis vel pedibus in stadio certabant, Solis in cursu suo conficiendo celeritatem & indefatigationem exponit. Nam vt cursor, quem viri robusti nomine appel-

lat Propheta, ſtadium decurrit & celeritate mirifica, & abſque vlla propter ſingularem corporis firmitatem defatigatione: ſic Sol curriculi ſui demenſum ſpatium tam incredibili veloc tate conficit, vt inſtar miraculi cuiuſdam videatur poſſe Solem tam longè diſsitos cœlorum tractus tam breui tempore ac indefeſſum percurrere.

4. *Ab adiuncta immenſitate caloris: quippe quo non has illasve mundi plagas tantùm afficiat, ſed per vniuerſum orbem diffuſas res ſingulas recreet & foueat.* ver. 7. in fine.

Hactenus inſtitutæ meditationis quæſtio de publicata à cœlis Iehouæ gloria, diſceptata eſt.

Conſequens eſt adhibitæ meditationis caput alterum de verbi diuini præſtantia.

Doctrinæ ſacro Dei verbo explicatæ ſingularis dignitas, notatur verſiculi vndecimi principio: vbi deſideratiſsima eſſe dicitur, id eſt, tanti pretij & excellentiæ, vt ad eam comparatæ res cæteræ ſordere videantur. Sed præſtantiam hanc verbi diuini quemadmodum perſequatur, & tractet Propheta videamus. Primò quibus nominibus ſacratiſsimæ Scripturæ doctrinam appellet non erit alienum attendere. Appellatio varia eſt & multiplex. Vocatur ſiquidē nomine *Legis, teſtimonij, mandati, præcepti, timoris Domini, iudiciorum Iehouæ.* Dicitur Lex, quia legis ſummam authoritatem in iubendo ac vetando obtinet. Teſtimonium, propterea quòd de Deo teſtetur quis ſit & quomodo erga nos affectus. Mandatum & præceptum, quòd in ea mandetur ac præcipiatur quicquid à nobis fieri Iehoua & præſtari velit. Timor Domini, quia rationem complectitur timendi Iehouam, id eſt, obeundi omnes partes diuini cultus, ſiue externus fuerit ſiue internus. Iudicia Iehouæ, eo quòd in rerum humanarum adminiſtratione excellentiſsimas illas Iehouæ vias & inſtituta commemoret & tradat.

En igitur vel ipſo nomine tam accommodato & multiplici depictam quodammodo verbi diuini excellentiam. Sed abeamus à nomine ad ea, quibus doctrinæ ſanctiſsimæ præſtantia vberius & luculentius deſcribitur. Deſcriptio

tio præstantiæ istius, primùm adiunctis & effectis perficitur, ver. 8. 9. 10. 11. Deinde expolitio est è duplici comparatione Minorum, ver. 11. Tùm subijcitur amplificatio ab experientiæ & obseruationis testimonio, vnà cum notatione quadam adiunctæ vtilitatis, vers. 12. Est igitur huius excellentiæ, quæ legi diuinæ tribuitur, quæstio conclusa hoc enthymemate: cuius antecedens multis partibus constat:

Doctrina verbi diuini est numeris omnibus absoluta, adeo vt nihil ei desit, quo declaretur Dei erga nos voluntas aut nostrum officium erga ipsum: est instrumentum vindicandi hominis è malo peccati, & restituendi in libertatem filiorum Dei: Est, si promissiones aut comminationes in ea traditas spectes, longe veracissima: magistra etiam diuinissimæ sapientiæ. ver. 8.

Eadem verbi diuini doctrina continet rectissimam formandæ vitæ normam: lætas & pacatas è diuini amoris sensu reddit conscientias: est pura ab omni fæce prauarum opinionum: & dissipata mentis nostræ caligine eandem illustrat cognitione discriminis inter bona ac mala. ver. 9.

Eadem verbi sacri doctrina est sincera admodum in singulis diuini cultus partibus, non inquinata hominum inuentis, non mutationi exposita: est veritatis & iustitiæ regula: nec quicquam complectitur, quod non sit summa approbatione pariter excipiendum. ver. 10.

Eadem doctrina cœlestis, vtcunque purgatissimi auri plurimum & mel acætum, vltro scilicet ac sua vi stillans è fauo, sit magni vtrunque in suo genere faciendum, tamen & illud dignitate, & hoc suauitate longissime superat. ver. 11. Hîc igitur duplici minorum comparatione illustratur verbi excellentia.

Ab eâdem doctrina ipsum me seruum tuum in omni re gerenda eruditum fuisse expertus sum & testor: simulq; coniunctum esse cum obseruatione ipsius id priuilegij, vt ex Iehouæ pacto libero illo quidem

& gratuito mercedem expectemus & feramus. versi.12.

Itaque doctrina verbi diuini sic excellit, vt sola abiudicatis cæteris omnibus desideranda videantur. ver.11.

Adhuc Prophetæ meditatio fuit: superest precatio versiculis Psalmi extremis. 13.14.15.

Precationis capita duo sunt: primum de peccatorum venia & sanctificatione: secundum vt adhibita meditatio & precatio, vtraque scilicet grata Iehouæ & accepta sit.

Peccatorum venia, eorum nempe quæ per errorem aut Satanæ ludibrijs inductus admisit Propheta, postulatur ver.13. vbi est postulati exornatio è prolepsi. Quæri enim potest quid causæ sit cur in specie & singillatim delicta sua non exponat. Excusatio est ab adiuncta ignoratione delictorum, quæ obstitit quominus speciali confessione persequeretur singula & referret. Vt est perfacile labi & errare: sic humanum est quid & quotupliciter peccetur nescire.

Sanctificationis petitio continetur ver.14. *Subtrahe* (inquit) *seruum tuum à contumacijs, ne dominentur in me:* id est, eam mihi Spiritus tui gratiam largire, qua possim & refractarios animi mei impetus coercere & continere me in præstituto curriculo persequendi mandata tua.

Iustificationis & sanctificationis postulatum istud à Dauide interpositum amplificatur à fine. *Tum* (inquit) *integer & insons ero à defectione magna:* id est, peto abs te & peccati veniam & animi sanctificati gratiam, vt liberatus Satanæ tyrannide & peccati dominatu omnem vitæ degendæ rationem legi tuę conformem.

Restat precationis caput posterius ver.15. *Sint* (inquit) *eloquia oris mei*, id est, petitio qua ad gratiam iustificationis & sanctificationis impetrandam vsus sum: & antegressa meditatio cordis mei de publicata à cœlis gloria tua, & de sacrosancti verbi tui excellentia: *Sit* (inquit) *vtrumque istud tibi ô Iehoua, qui in Christo Iesu redemptor es meus, & aduersus omnia pericula propugnator, gratum semper acceptumq́.*

PSAL.

PSAL. XX.

1 *MAgistro Symphoniæ Psalmus Dauidis.*
2 *Exaudiat te Iehoua tempore angustiæ: te in edito collocet nomen Dei Iacobi:*

3 *Mittat auxilium tuum è Sancto, & è Sione fulciat te.*

4 *Odoretur omnia munera tua & holocaustum tuum in cinerem redigat. Selah.*

5 *Det tibi ex animo tuo & totum tuum consilium impleat.*

6 *Canemus de salute tua, & in nomine Dei nostri vexillis vtemur, vbi implebit Iehoua omnes petitiones tuas.*

7 *Iam cognoui Iehouam seruare Vnctum suum: exaudire eum de cœlis sanctitatis suæ: ex summa fortitudine, salute dextera suæ.*

8 *Hij curruum & illi equorum, nos verò nominis Iehouæ Dei nostri recordamur.*

9 *Illi incuruant se & cadunt: nos verò surgimus & consistimus.*

10 *Iehoua serua: rex ipse exaudiat nos die quo inuocabimus.*

ANALYSIS PSAL. 20.

Inscriptio Psalmi loquitur de Psalmi efficiente, Dauide scilicet: deinde de symphoniæ magistro, cui decantandus tradebatur.

Cum Dauidi non modò sceptrum regium in populo Israelitico, sed etiam Prophetæ munus demandatum esset à Iehoua,

Iehoua, mirum videri non debet dictatam ab eo fidelibus & præscriptam fuisse precandi formam. Siquidem quod erat prophetici muneris, id non minus præstandum esse censuit, quàm ea quæ ad reipublicæ Israeliticæ procurationem pertinebant. Hinc est quòd Ecclesiam & de officio admonuerit confugiendi ad Iehouam pro salute Principis, si quando de ea ageretur, & de modo formandæ precationis instruxerit.

Sed quæ est precatio illa, qua dictata à Dauide vtitur populus Israelis, subditus nempe pro incolumitate summi in republica Principis? Dauid ab Hammonitis singulari iniuria prouocatus, accepta nimirum in persona legatorum suorum insigni contumelia, & certior factus conscribi insuper ab iis maximas ad bellum gerendum copias, ad coercendam Hammonitarum insolentiam & iniuriam vindicandam, de suscipienda aduersus ipsos expeditione militari statim cogitat. Vt vero in ea sibi & populo Dei fœliciter eueniat: vult ab Ecclesia Israelitica precationem adhiberi in hanc sententiam:

Regem nostrum ô Iehoua, iam proficiscentem in aciem ad hostes suos debellandos exaudi & protege. ver. 2.3.4.5.10

Petitionis capita duo sunt:

1. *Vt regis precatio exaudiatur.*
2. *Vt regis saluti consulatur.*

Vtrumque caput & separatim & coniunctim explicatur.

Petitionis caput illud de regis oratione exaudienda habet exornationem primùm à circumstantia temporis: deinde à comparatione Maiorum.

Petit Ecclesia vt regis sui oratio exaudiatur *tempore angustiæ*, id est, si quando in campo & acie rex de salute sua cum hostibus confligens periclitetur. ver. 2.

Maiorum comparatione tractatur Ecclesiæ petitio, dum contendit vt Iehoua non modò exaudiat regem suppliciter precantem, sed etiam aspectabili aliquo testimonio demonstret valere apud se orationem regis. Hinc est quòd ver. 4. cupiat vt oblata à rege sacrificia in cinerem redigantur. Cum vi flammæ cœlitus demissæ holocausta conflagrarent

rent & absumerentur, id fuit exauditæ orationis, quæ vnà cum sacrificijs adhibita est, indicium singulare.

Ver. 5. est petitionis repetitio quædam & illustrior explicatio.

Petitionis caput alterum de Regis salute tuenda in ipso armorum æstu & certamine, amplificatur à simili vers. 2. tum à circumstantia loci vers. 3. *Collocet te* (inquit Ecclesia) *in edito nomen Dei Iacobi*: id est, peto vt aduersus hostium impetus & suscepti belli varios casus ac discrimina protegare admirabili potentia & gratia illius Dei, qui se Deum Iacobi professus est, & quem Iacobus solum pro Deo agnouit & coluit: peto (inquam) vt quëadmodum ij, qui immunes à periculo esse volüt, se in excelsam aliquam arcem recipiunt: sic prouidentia tua, qua soles dissipatis hostium copijs eos qui ad opem tuam confugiunt incolumes aduersus pericula præstare, sit regi nostro instar arcis cuiusdam & propugnaculi.

Sed additur vers. 3. loci circumstantia, vnde nimirum quasi porrigendum regi & transmittendum auxilium sit. *Mittat* (inquit) *auxilium tuum è Sancto & è Sione fulciat te. E Sancto*, id est, è cœli domicilio, quod meritò dici potest sanctissimum propter illius, cuius in eo admirabiliter resplendet Maiestas, infinitam sanctitatem. *E Sione*, nimirum inde, vbi est illustris quædam repræsentatio & aspectabilis sedes diuini Numinis.

Meminit huius circumstantiæ Ecclesia, vt apud Iehouam profiteri videatur non habere se aut Dauidem populi Israelitici Principem spes suas aliunde suspensas, sed quicquid expetendum sit fœlicitatis & gratiæ, id omne à solo Iehoua, cuius est in cœlis & sanctuarij Cherubinis solium regale & magnificum, expectare se & requirere.

Sequitur vtriusque capitis petitione comprehensi coniuncta tractatio: quæ duobus argumentis perficitur. Primum eiusmodi est:

Arg. 1. *Si futurum est vt conseruato abs te rege nostro, eo nomine celebraturi simus gratissimis lætissimisq; animis gloriam tuam: petimus vt minimè graueris eum in aciem*

iam

iam contra hostes proficiscentem exaudire & protegere.

At conseruato abs te rege nostro, eo nomine gratissimis lætissimisq; animis gloriam tuam celebraturi sumus. ver. 6.

Itaque ne grauère regem nostrum in aciem contra hostes proficiscentem exaudire & protegere. ver. 2. 3, 4. 5. 10.

Assumptio est sexto versiculo proposita. *Canemus* (inquit) *de salute tua:* id est, Iehouæ nomen prædicabimus ob conseruatam salutem tuam. *In nomine Dei nostri vtemur vexillis, vbi implebit petitiones tuas:* id est, postquam tibi salutem in medio armorum discrimine & victoriam contra hostes suppliciter petenti satisfecerit, erectis & explicatis vexillis, vt solent victores, summa animi lætitia & exultatione è campo & acie in vrbem Hierosolymitanam reuertemur, agnoscentes interim atque isto triumphandi & lętandi actu profitentes adeptos esse nos salutem & victoriam in nomine Dei, id est, admirabili virtute & gratia præpotentis Dei.

Versu septimo prolepsis interponitur. Siquidem in hunc modum aduersus Ecclesiam obijci potest: video te ad Iehouam confugere singulari spe adductam, fore vt Regem Israelis ad bellum gerendum iam proficiscentem, velit tutum contra impetus hostiles præstare. Atqui verò ludis ipsa te, dum Iehouam Regi tuo subuenturum esse credis.

Obiectionem istam refellit Dei populus à testimonio experientiæ & obseruationis suæ. Sic enim ver. 7. loquitur: *E rebus antehac à Iehoua gestis obseruaui sæpius atque expertus sum & esse ipsum summæ potentiæ, & suis, si quando versantes in discrimine ad ipsum confugerint, solere succurrere. Ac proinde non dubito quin vnctũ à se & constitutũ in regio solio Dauidẽ exauditurus sit è cœlis & partæ victoriæ trophæis ornaturus.* De hoc (inquã) *persuasi ipse mihi, obseruata nimirũ à me antehac & summa ipsius fortitudine & salute dexteræ.* Iehouæ fortitudinẽ de ipsius summa ad rẽ efficiendã potentia interpretor: *& salute dexteræ notari statuo frequentes illas è periculis liberationes*, quas pro infinitæ dexteræ suæ potentia & singulari

gulari gratia præstitit.

Refutata obiectione redit ad persequendam petitionem Ecclesia: atque in hanc sententiam regis sui causam agit apud Iehouam:

Arg. 2. *Nos à te Iehoua pendemus toti, non aliunde salutem attendentes.* vers. 8. in fine.

Itaque nobis commendantibus tibi salutem regis & suscepti ab ipso belli pericula deprecantibus ne grauêris satisfacere. vers. 2.3.10.

Antecedenti enthymematis additur illustratio è dissimilibus fiduciæ subiectis:

Infideles curribus & equis confidunt. vers. 8. in principio.

At nos nomen Iehouæ recordantes in eo solo confidimus & acquiescimus. ver. 8. in fine.

Dissimilitudinis vtrique parti subijcitur vers. 9. consectarium ad notandum dissimiles euentus dissimilis fiduciæ:

Illi, quia humanis viribus & medijs nituntur, idcirco prosternuntur ac iacent. vers. 9. in principio.

At nos, quia in Iehouam spem omnem & fiduciam reponimus, idcirco liberati à malis consistimus incolumes. ver. 9. in fine.

Versu Psalmi postremo integra petitio repetitur, sed apud secundam Trinitatis personam exhibita. Nam rex ille, de quo meminit versiculus decimus, est Christus Iesus, cui omnis maiestas & imperium à Deo Patre demandatum est. Cum igitur is sit, qui solus author salutis est, & per quem res singulæ efficiuntur, illius opem optimo iure implorat Ecclesia.

PSAL. XXI.

1 *Magistro Symphoniæ Psalmus Dauidis.*
2 *Iehoua, de robore tuo lætatur Rex: & de salute tua quàm exultat valdè.*

3 *De-*

3 *Desiderium animi dedisti ei, & quod protulit labijs suis non negasti. Selah.*

4 *Quin preuenisti eum benedictionibus boni: imposuisti capiti eius coronam auri purgatissimi.*

5 *Vitam petijt abs te: dedisti ei: etiam longitudinem dierum in saeculum & sempiternum.*

6 *Magna est gloria eius per salutem tuam: decus & maiestatem posuisti super eum.*

7 *Nam posuisti illum in benedictiones sempiternas: exhilarauisti eum lætitia à facie tua.*

8 *Quoniam ipse Rex confidit Iehoua, & in benignitate Excelsi, non dimouetur.*

9 *Assequeris manu tua omnes inimicos tuos: dextera tua assequeris osores tuos.*

10 *Disponis eos vt fornacem ignis tempore iratae faciei tuae: Iehoua in ira sua absorbet eos, quasi consumat eos ignis.*

11 *Fructum eorum è terra perdis, & semen eorum è filijs hominum.*

12 *Quoniam intenderunt tibi malum: & commenti sunt cogitationem, quam non possunt perficere.*

13 *Idcirco ponis eos velut tumulum: neruis tuis aptatas sagittas iacularis contra faciem eorum.*

14 *Exaltare Iehoua robore tuo: cantemus & psallamus fortitudinem tuam.*

ANALYSIS PSAL. 21.

Psalmo isto, quem à Dauide videmus ideo dictatum esse vt eo vteretur Ecclesia, duo tractantur, Celebratio scilicet diuini nominis, & Petitio. Nominis diuini celebrationem proponit Ecclesia vers. 2. Deinde eam versiculis pluribus per-

persequitur. *De robore tuo* (inquit) *lætatur rex, & de salute tua quàm exultat valde!* Admonet hic versus de laudationis meditatæ & institutæ subiecto. Id verò est bipartitum: nempe diuina bonitas erga regem, & diuina iustitia aduersus hostes Ecclesiæ. Vtraque salutis Dauidi à Iehoua concessæ nomine comprehenditur. Nam liberatio ab hostibus, qua Deus Prophetam pro infinita misericordia cohonestauit, eiusmodi fuit vt vnà secum hostium interitum afferret. Lætatur itaque & exultat rex de salute Iehouæ: id est, cùm propter acceptam liberationem ab imminentibus periculis, tum propter hostium copias euersas ac prostratas, summam gloriam tribuit Iehouæ, lætissimo animo agnoscens deuinctum esse se rerum omnium Principi & moderatori singularibus beneficijs. Vocem igitur lętitiæ & exultationis vt tropicws adhibitam interpretor ad laudationis, quæ instituitur, significationem.

Habemus ergo comprehensum vers. 2. laudationis propositæ subiectum; sed addita exornatione ab efficiente. Nam liberatio illa Prophetæ & hostium interitus, vtrumque inquam est à diuino robore & potentia profectum: adeo vt etiam admirandæ potentiæ nomine Iehoua celebretur. Constat igitur quid illud sit, quod regi in suscepta laudatione proponitur. Perinde est ac sic dissereret:

Contulisti in regem mirificæ bonitatis argumenta: & hostes Ecclesiæ ad interitum redegisti.

Itaque rex lætatur & exultat: id est, agnoscens debere se tibi omnia, animo lætissimo gloriam nominis tui prædicat.

Quod ad enthymematis antecedentem attinet: constat illa duabus partibus: quarum altera est de bonitate diuina erga regem: altera de iustitia Dei contra hostes Ecclesiæ, scilicet Ammonitas. Hijs enim deuictis retulit se ad gloriam Iehouæ prædicandam Propheta. Pars illa de bonitate Dei est à versu secundo ad nonum: de iustitia verò Iehouæ aduersus hostes Ecclesiæ tractatur ver. 9. 10. 11. 12. 13.

Diuinæ bonitatis erga regem explicatio perficitur inductione specialium. Notat siquidem bona & quæ petebantur

tur à rege, & quæ ab ipso petita non sunt. Primò docet concessa esse regi bona quæ petijt vers.3. Ac proinde nomen Iehouæ laudandum esse.

Antecedens illustrationem habet à collatione Maiorum, ver.4. vbi loquitur in hanc sententiam Ecclesia: *Quin præuenisti eum benedictionibus boni*. Integra comparatio est huiusmodi:

Contulisti in regem etiam benedictiones illas & bona quæ non petijt. ver.4 in principio.

Non est mirum ergo si regi in ijs, quæ à te supplex contendit, satisfeceris. ver.3.

Comparationis propositio, adhibita particularium enumeratione explicatur. Nam in specie refert Ecclesia Iehouam regi concessisse bona quæ non petijt: nempe,

1. *Accessionem imperij.* ver.4.in fine.

2. *Vitæ immortalitatem.* vers.5.in fine.

3. *Gloriam summam.* ver.6.

Ac proinde Iehouam omni laude efferendum esse.

Quod ad accessionem imperij attinet: prædicat Ecclesia impositam esse capiti Dauidis coronam auri purgatissimi: Quod interpretari placet non de sceptro regni Israelitici (eo enim iam fruebatur cum Ammonitis bellum inferret & illius nomine persæpe gratias egerat) sed de parto in Ammonitas imperio. Hos enim fudit ac profligauit: immo, vt è 2.Sam.cap.12 constat, ita fœliciter Dauidi in dimicatione successit, vt cæso Ammonitarum rege coronam ipsius abstulerit, quæ erat & gemmarum nitore perinsignis & purgatissimi auri talento pergrauis.

De vitæ æternæ beneficio sic loquitur, vt illud comparatione Minorum amplificet: Nam in hunc sensum ad laudem Iehouæ disserit:

Insigne beneficium est quod Regi huius vitæ, quam in terris degimus, longiorem vsuram concesseris. vers.5. in principio.

At illud longè maius est, quòd eum vitæ immortalitate donasti. ver.5. in fine.

Summæ gloriæ in regem collatæ meminit versiculus sextus,

sertus, notata insuper instrumentali causa tam singularis beneficij. *Per salutem* (inquit) *tuam magna est eius gloria & maiestas:* ac si diceretur: *Quòd fusis & prostratis Ammonitis regem grauissimis periculis eripueris:* eò regis nomen accessione scilicet recentis cuiusdam maiestatis insigniter honorificum & admirabile reddidisti. Etenim non modo vniuersæ tribus Israelis, sed etiam exteræ gentes, ad quas tantæ liberationis fama peruenerit, regem nostrum tanquam diuinitus missum & Iehouæ charissimum in summo honore habent, dignumque putant de cuius rebus gestis nulla ætas conticescat: & cuius maiestatem auctam iam splendore noui honoris magis magisque admiretur.

Sed Regi Dauidi concessæ gloriæ pręstantiam demonstrat Ecclesia duplicis effecti argumento: prius eiusmodi est:

Gratia tua erga regem singulari, qua illi omnia affatim suppetunt & pro exemplari habetur inter homines diuinæ bonitatis, perfecisti & vis vt multiplicis erga alios benedictionis instrumentum & iam sit & semper esse possit. vers.7. in principio.

Itaque in eum illustrissimi nominis gloriam & decus contulisti.

Alterum concessæ gloriæ effectum versus septimi clausula posteriori comprehenditur. Vbi in hunc modum in Iehouæ laude ornanda progreditur Ecclesia: *Gloria, qua regem nostrum affecisti, facit vt incredibilem lætitiam capiat, persuasus inde de tuo erga se egregio & perpetuo amore. Magnam itaque eam gloriam esse necesse est, quæ tam illustre testimonium exhibet diuinæ bonitatis, vt ex illius sensu perfundatur animus admirabili & perenni gaudio.*

Ad concludendam diuinæ erga Regem bonitatis explicationem, redditur ratio ver.8. qua inductus Iehoua Dauidem tam excellenti gratia prosecutus sit. Fecit ergo fiducia illa, quam in Iehouam collocauit, vt regem dimoueri aut deijci de statu, quo vtebatur florentissimo, minimè pateretur: immo fecit vt non modo consuleret Regi contra rerum angustias & casus aduersos, sed etiam eidē de subsidijs

opum & honorum ornamentis prouideret. Atque hæc est illa Iehouæ, si quos promissionum suarum fide niti videris, in fide liberanda singularis alacritas & constantia.

Hactenus expositum est primum institutæ laudationis caput, de Iehouæ scilicet erga Regem excellenti bonitate.

Sequitur laudationis pars altera, de iustitia Dei aduersus hostes Ecclesiæ, à principio ver. 9. ad finem ver. 13.

Quod ad iustitiam Dei spectat: videamus primò quomodo describatur: deinde quo argumento iustitiæ istius executio asseratur & commendetur.

Iustitiæ diuinæ, id est, pœnæ impijs à Iehoua inflictæ descriptio est;

1. *Ab efficiente, nempe potentia Iehouæ, quæ vocabulo manus & dexteræ exprimitur.* ver. 9.

2. *A subiecto, exercetur siquidem iustitia diuina in eos non qui simpliciter impij sunt, sed qui eò impietatis processerunt, vt ipsum Iehouam odio prosequantur & cum eo bellum gerant. Vnde perspici potest Dei erga suos amor illustris, vtpote qui hostes Ecclesiæ suæ pro grauissimis gloriæ suæ aduersarijs habeat.* ver. 9.

3. *Ab adiuncta grauitate pœnæ, qua hostes Ecclesiæ afficiuntur. Supplicij magnitudo similium comparatione declaratur.* ver. 10. Nam vt sarmenta siue quæ res aliæ in fornacem ardentem coniectæ ardore flammæ absumuntur: sic hostes Ecclesiæ quasi in clybanum iræ diuinæ præcipitati, iudicij diuini æstu incredibili absorbentur & ad nihilum rediguntur. Comparationis apodosis exornatur notatione adiuncti temporis, quo ad pœnam impij rapiuntur. Id autem tum fit, cum eousque Iehouam suorum scelerum atrocitate homines nequissimi prouocauerint, vt eos non diutius ferendos esse censeat. ver. 10. in medio. *Disponis* (inquit) *eos vt fornacem ignis tempore iratæ faciei tuæ.* Vbi fornacem ignis per subiecti metonymiam interpretari oportet pro rebus in fornacem coniectis. Videmus igitur eleganti similitudine inflictæ pœnæ magnitudinem illustrari versu decimo: vbi vtraque similitudinis pars

priori

priori membro versiculi in contractam comparationem illigata proponitur: deinde eiusdem posteriori inciso apodosis explicatur apertius, repetita interim similitudine contracta.

4. *A comparatione Maiorum*, ver. 11. Quem versum sic interpretor, ac si ita loqueretur Ecclesia: *Non modò impiorum personas delendas esse censes, sed etiam quibus affluunt facultates & copias: immo eorum posteros funditus perdi & extirpari vis.*

5. *A collatione similium*. ver. 13. Similitudo eiusmodi est:

Vt contra aggerem scopumq; aggeri infixum iaculamur & iaculando proterimus:

Sic Iehoua immissis contra impios tanquam aggerem, & contra eorum faciem quasi scopum, iræ suæ telis, eos perdit & conficit.

Descriptio iustitiæ diuinæ erga hostes Ecclesiæ sic est. Attendamus iam quo argumento inflictæ pœnæ atrocitas contra omnium calumnias asseratur & pro iustissima statuatur. Conclusio talis est:

Tibi ô Iehoua bellum intulerunt: ad tuam maiestatem conuellendam incubuerunt: immo omnes insolentiæ ac superbiæ suæ impetus ad delendam nominis tui gloriam conuerterunt, vtcunque irrito successu. ver. 12.

Itaque meritissimò atrocibus pœnis ipsos persequeris & ad interitum redigis. ver. 9. 10. 11. 12.

Adhuc fuit celebratio diuini nominis ob singularem Iehouæ bonitatem erga Dauidem, & iustissimæ pœnæ executionem aduersus hostes Ecclesiæ.

Superest Ecclesiæ petitio, vers. 14. Petitionis summa est:

Vt Iehoua potentiæ suæ gloriam indies magis ac magis illustret pios protegendo, & perdendo impios.

Vt valere apud Iehouam tam æqua petitione possit Ecclesia, hac suasione vtitur:

Nos decantare res tuas gestas & singularibus verbis ornare non desistemus, si pijs protegendis & perdendis impijs nomen tuum magis ac magis illustre reddideris. vers. 14. in fine.

Quocirca exaltare ô Iehoua robore tuo: id est potentiæ tuæ gloriam indies magis magisq; illustra piorum defensione & improborum interitu ver. 14. in principio.

PSAL. XXII.

1 *Magistro Symphoniæ ad primam auroram Psalmus Dauidis.*

2 *Mi Deus fortis, mi Deus fortis, quare dereliquisti me, longinquus à salute mea & à verbis rugitus mei?*

3 *Deus mi, inuoco te interdiu sed non exaudis etiam noctu, & non est silentium mihi.*

4 *Etiam tu Sanctus es habitator laudum Israelis.*

5 *Tibi confisi sunt maiores nostri: confisi sunt & liberasti e·s.*

6 *Ad te clamauerunt & erepti sunt: tibi confisi sunt, nec puduit eos.*

7 *At ego sum vermis & non vir: opprobrium hominum & contemptus populi.*

8 *Omnes videntes me subsannant me: diducũt labium: mouent caput.*

9 *Deuoluit se ad Iehouam (inquiunt) liberet eum: eripiat eum, quandoquidem delectatur eo.*

10 *Certè tu is es qui eduxisti me ex vtero: faciens vt securus agerem ad vbera matris meæ.*

11 *In te reiectus sum è matrice: inde ab vtero matris meæ Deus meus es tu.*

12 *Ne*

12 *Ne procul absis à me. Nam angustia est propinqua mihi: etiam nemo est adiutor.*

13 *Circundant me iuuenci multi: robusti iuuenci Basbanis cingunt me.*

14 *Dilatant contra me os suum, tanquam Leo rapiens & rugiens.*

15 *Sicut aqua effundor & disparant se ossa mea: est cor meum simile ceræ, liquefit in visceribus meis.*

16 *Aruit vt testa vis mea: & lingua mea adhæsit faucibus: & in puluere mortis posuisti me.*

17 *Nam circundederunt me canes: cœtus maleficorum circumuenerunt me. Foderunt manus meas & pedes meos.*

18 *Ennumerare possum omnia ossa mea: ipsi intuentur, respiciunt in me.*

19 *Partiuntur vestimenta mea inter se: & pro indumento meo proijciunt sortem.*

20 *Tu ergo Iehoua ne procul absis: virtus mea, ad auxilium meum festina.*

21 *Eripe à gladio animam meam, à cane vnicam meam.*

22 *Serua me ab ore Leonis, & à cornibus Vnicornium, exaudiens me.*

23 *Enarrabo nomen tuum fratribus meis: in media congregatione laudabo te: dicens,*

24 *Timentes Iehoua, laudate eum: totum semen Iacobi honorate eum: & timete ab eo totum semen Israelis.*

25 *Quia non spernit nec abhominatur afflictionem*

nem afflicti, neque abscondit faciem suam ab eo: sed cum clamaret ad ipsum, exaudiuit.

26 *De te laus mea erit in congregatione magna: vota mea persoluam coram reuerentibus eum.*

27 *Comedent mansueti & saturabuntur: laudabunt Iehouam querentes eum: viuet cor vestrum in sempiternum.*

28 *Recordabuntur & conuertentur ad Iehouã omnes fines terræ: & incuruabunt se coram te omnes familiæ gentium.*

29 *Quoniam Iehouæ est regnum: & dominium habet in gentes.*

30 *Comedent & incuruabunt se omnes pingues terræ: coram eo procumbent quicunque in puluerem descendunt: etiam qui animam suam conseruare nequit.*

31 *Horum semen colet eum: accensebitur Domino in quaque ætate.*

32 *Aduenient & annuntiabunt iustitiam eius populo nascituro, quia fecit illud.*

ANALYSIS PSAL. 22.

De Psalmi inscriptione primò videndum est: deinde de Psalmi subiecto.

Psalmi inscriptione admonemur

1. *De Psalmi efficiente. Dauidis esse dicitur. Et rectè: quatenus tamen personam sustinuit Christi Iesu.*
2. *De eo, cui canendus tradebatur.*
3. *De adiuncto tempore, quo cani debuit: nimirum summo mane, vt primùm cœpit dilucescere. Nam cum Psalmus hic vaticinium contineat de Messiæ perpessionibus & regno per Euangelij vocem propagando, mirum videri non debet, si ad*

alendam

dendem de venturo Christo Ecclesiæ suæ fiduciam, voluerit Deus Psalmum, de quo agitur, per dies singulos mane decantari. Hanc ego Hebræarum vocum quæ inscriptione comprehenduntur interpretationem authore Tremellio perlibenter sequor.

Subiectum Psalmi est petitio à Christo ipso exhibita. Is siquidem per omnes Psalmi partes inducitur Deum patrem suppliciter compellans, sed ijs maxima ex parte argumentis, quibus partim de perpessionibus suis, partim de Iudæorum & Gentium ad Euangelij cognitionem vocatione vaticinatur: adeò vt hoc Psalmo luculenter depictum habeamus à Christo Christum ipsum, fungentem scilicet officio & Sacerdotis in sacrificio precum personæque suæ offerendo, & Prophetæ Regisque in promulganda Iehouæ gloria & regni Euangelici terminos ad omnes terræ regiones proferendo. Sed Psalmum istum de Christo intelligendum esse euincit historia de Christi passione ab Euangelistis conscripta. Nam hinc vesiculos aliquot citant & Christo accommodant: vt versiculum nonum Mattheus cap. 27. versum 19. Ioannes cap. 19. Versum 23. epistola ad Hebræos cap. 2. Immo Christus ipse in cruce pendens & exclamans, *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me*, de se non de alio Psalmum hunc intelligendum esse monet.

Sed quæ est illa à Christo instituta petitio? ea est in hanc concepta sententiam:

Ne me desere (mi Deus) sed ad liberationem & salutem mihi præstandam accede. ver. 2, 12. 20. 21, 22.

Hanc esse exhibitæ à Christo supplicationis vim ac sententiam, liquet partim ex eo quod totidem versiculis disertè comprehenditur, partim ex allatis ad propositæ petitionis suasionem argumentis. Quod ad versum secundum attinet: non est existimandum queri Messiam de absoluta aliqua & ad actum perducta desertione: sed vt de miseriæ quam sustinuit grauitate moneat, (quæ eiusmodi fuit, vt in ipso spem obtinendæ liberationis interrumpere ad tempus & quodammodo elidere videretur) idcirco dum ad opem & salutem petendam accessit, ea orationis forma ad exprimen-

dum animi sensa & notiones vti visum est, quæ personæ hominis reiecti penitus & deserti aptissimè conuenire videbatur. Querela igitur quam adhibet Christus desertionis, sic intelligenda est, ac si disertis verbis à Deo patre contenderet, ne deseratur. Illud enim Christo tantopere querenti propositum est: ad id mente & cogitatione intendit, vt Deo Patri de testimonio exhibendo retenti erga ipsum amoris & gratiæ persuadeat. Ac proinde si eo consilio suscepta querela est: quis neget comprehendi ea petitionem opis ac misericordiæ?

Verum enimuero, quibus argumentis supplicationem institutam persequatur videamus. Primum huiusmodi est:

Arg. 1. *Qui te ô Iehoua inuocat, non debet à te derelinqui, sed gratiam abs te opemq́; consequi.* ver. 4.

Ego te Iehoua inuoco. ver. 3.

Ego igitur à te derelinqui non debeo sed gratiam & opem consequi. ver. 2.

Propositio expressa non est: sed in omissæ propositionis locum substituta propositionis illustratio versu quarto. *Etiam tu* (inquit) *sanctus habitator es laudum Israelis*, id est per adiuncti metonymiam, habitator sanctuarij in quo nomen tuum Israelitæ colunt & laudant. Iehouæ sanctuarium inhabitare ideo visum est, vt inde testaretur se & promisisse opē inuocantibus & voluntatis paratissimæ ad præstandas quas fidelibus fecit excellentes promissiones. Sanctus habitator sanctuarij esse dicitur: quia nihil in ipso est fucatum aut mutabile: nihil vllis deficientiæ aut imperfectionis sordibus inquinatum. Omissæ igitur propositionis illustratio non ipsa propositio ver. 4. continetur: eaque hæc est:

Tua sanctuarij inhabitatione testaris te & opem promisisse inuocantibus nomen tuum & esse sanctum ac constantem in præstandis promissionibus. ver. 4.

Ergo qui te Iehoua inuocat non debet à te derelinqui, sed gratiam abs te & opem consequi.

Assumptioni Syllogysmi subjicitur amplificatio ab adiuncta inuocationis vehementia. Hæc autem est declarata à

qui-

quibusdam adiunctis & comparatione similium.viz.

1. *Ab adiuncta geminatione verborum*.ver 2. Vbi ait, *Deus mi, Deus mi*.

2. *A collatione clamoris sui cum rugitu leonis*.ver.2.in fine.

3. *Ab adiuncta inuocationi querela desertionis*.ver.2.

4. *A circumstantia temporis*. vers. 3. *Die*, inquit, *& nocte te inuoco*.

5. *Ab adiuncta irriti in clamando successus querela*.ver.3 in fin. *Non exaudis*, inquit, *non est silentium mihi*: id est, vtcunque opem tuam vehementius implorem, nihil tamen inde leuationis aut solatij percipio. Ingrauescit potius quàm deferuescit acerbitas miseriæ & ægritudinis meæ.

Sed vrget Christus exhibitæ petitionis suasionem à comparatione parium:

Arg.2. *Patres nostros* (inquit) *non deseruisti, sed eisdem te inuocantibus succurristi*. ver. 5. & 6. Vbi caussam, quæ & patres ad inuocandum Iehouam & Iehouam ad patribus opem ferendam induxit, ter repetitam comperiemus, *fiduciam scilicet patrum in nomen Iehouæ*.

Non debes igitur me deserere, sed mihi te inuocanti subuenire.ver.2.

Quòd dicitur patres Iehouæ confisos esse, nec ipsos puduisse: perinde est ac si diceretur, eos neutiquam frustrà ad Iehouam spe obtinendæ gratiæ confugisse: non fuisse opinione & expectationē delusos: sed opem, quam Iehouę promissis freti implorabant, consequutos esse.

Ecce persequitur adhuc Christus propositam supplicationem, nec supersedendum esse censet priusquam satis ipsi factum fuerit. Hinc est quòd duobus insuper argumentis vtatur, quibus inest ad mouendum pondus singulare. Nam & quantas miseriarum acerbitates sustineat luculenter describit, & se gloriam Iehouæ celebraturum apud omnes profitetur, si liberationem è tanta & tam incredibili malorum abysso consequatur. Passionum descriptio præcedit, à principio ver.7.ad ver. 23. Deinde sequitur ob acceptum liberationis beneficium gratissimæ voluntatis professio, à principio

pio ver. 23. ad Psalmi finem. Sed Christum passiones suas describentem attendamus. Eas triplici genere destinctas proponit. Sunt enim vel

1. *Opprobria & ludibria.*
2. *Passiones apprehensionis & condemnationis.*
3. *Passiones crucifixionis & è crucifixionis acerbissimo sensu morte.*

Sic igitur apud Deum patrem ad gratiam & opem impetrandam disserit:

Arg. 3. *Omni contemptu & contumelijs hostes mei me tum verbis tum gestu excipiunt: me apprehenderunt & condemnarunt: me crucifixerunt & dolorum vi infinita confecerunt.* à ver. 7. ad ver. 23.

Ac proinde ne me deseras mi Deus, sed mihi te inuocanti succurras. ver. 2. 12. 20. 21. 22.

Enthymematis antecedens tribus membris constat. Ea separatim videamus: ac primò descriptionem opprobriorum & contumeliarum, quibus Christum perditissimi homines affecerunt. Descriptio est ab inductione partium, quæ sunt totidem hominum nequissimorum effecta: sic

1. *Nihili ab eis fio: habeor pro vermiculo non homine.* ver. 7.
2. *Ludibrijs me & sannis prosequuntur.* ver. 8. in principio.
3. *Gestu etiam me contumeliosè excipiũt, diducentes labia & caput mouentes.* ver. 8. in fine.
4. *Exprobrant mihi meam in te ô Iehoua fiduciam, & persuadere volunt te minimè esse Deum meum.* ver. 9.

Hic se Christus sustinet: ac priusquam reliquæ passionis suæ historiam texit, obiectionem illam v. 9. comprehensam diluit ver. 10. & 11. Obiectio sic est conclusa.

Iehoua non te diligit: non est te liberaturus: id est, *Iehoua non est Deus tuus.* ver. 9.

Itaque frustra in Iehouam confidis. ver. 9. in principio.

Negat Christus obiectionis enthymemate conclusæ antecedentem, confidenter asserens Iehouam semper fuisse Deũ suum. De eo autem vt apertè constare possit, sic ad refellendam obiectionem ab effectis disserit:

Extraxisti me ô Iehoua ex vtero matris meæ: eductum in lu-

cem me aluisti & sustentasti: in tutelam tuam recepisti. v. 10. & principio 11.

Ac proinde Deus meus es, id est, *me diligis & mea salus tibi curæ est.* ver. 11. in fine.

Refutata iam obiectione & expositis, quibus affectus est contumelijs: Christus perpessionum suarum historiam persequitur; præmissa tamen & repetita institutæ supplicationis quæstione: quam sic conclusam reperiemus:

Versor (inquit) *in extremo capitis & rerum omnium discrimine.* ver. 12. in fine. Vbi sic loquitur: Angustia propinqua est mihi: nemo est adiutor: id est, omnibus subsidijs orbatus parum abest quin concidam prorsus & interեam, confectus scilicet incredibili asperitate dolorum & pondere oppressus grauissimæ miseriæ.

Quapropter ne me deseras mi Deus, sed mihi adsis & nomen tuum inuocanti succurre. ver. 12. in principio.

Ad illustrationem antecedentis enthymemate comprehensi, describit Christus primò apprehensionem & condemnationem suam: deinde crucifixionem & è crucifixione profectas incredibiles miserias.

Apprehensionem Christi & condemnationem habemus descriptam v. 13. & 14. descriptam scilicet ab efficientibus & efficientium adiunctis. Causæ efficientes administræ in prehendendo Christo adhibitę dicuntur esse iuuenci multi: id est, Iudas ac cum eo turba multa instructa gladijs & fustibus, missi à pontifice maximo, scribis, pharisæis & primoribus populi, quemadmodum testantur Euangelistæ. Hij iuuencis comparantur, non ijs quidem paucis sed numero permultis. His Christus sic se circundatum queritur versu 13. vt nulla spes elabendi superesset.

Condemnatio Christi posteriori clausula versus decimi tertij & toto ver. 14. exponitur. Causæ principes seu authores condemnationis istius describuntur.

1. *A comparatis. Conferuntur siquidem cum tauris Baschanis.* ver. 13. in fine.

2. *Ab adiuncta potentia & viribus. Nam non tauri modò sed tauri robusti dicuntur.* ver. 13.

3. Ab

3. *Ab adiuncta immanitate & truculentia* ver. 14. Vbi tanta esse dicitur, vt comparetur cum singulari feritate & sæuitia leonis rapientis & rugientis, immo os suum diducentis tanquam nulla interposita mora deuoraturi prædam.

Tauri isti Baschanis, quorum erat & summa potentia & insignis immanitas, Christum sic obsessum vndique & constrictum tenuerunt, vt expediendi sese è tantis periculis ratio nulla reliqua esset. Sed quinam erant robusti isti tauri Baschanis? Certè primùm summus Pontifex, primarij Sacerdotes, Seniores & Scribæ: deinde Magnates ethnici, Pilatus videlicet & Herodes, vterque cum assessoribus & militibus suis. Quod attinet ad summos Pontifices, Sacerdotes, scribas, Pharisæos & ad reliquos eiusdem farinæ: hij Christum bis circunderunt. In palatio siquidem summi pontificis coactum concilium est, in quo accusatus blasphemiæ dignissimus morte de communi sententia indicatur. Tum coacto iterum concilio decreuerunt summi Sacerdotes cum senioribus, scribis & reliquo consessu vt damnatus iam à se vinctusq; Pilato ad crucifigendum traderetur.

Quomodo à populi Iudaici principibus circundatus sit Christus videmus. Videamus quemadmodum cinxerint ipsum & obsederint Magnates ethnici Pilatus nempe & Herodes. Adducitur ad Pilatum compedibus & vinculis constrictus Iesus sedentem pro tribunali. Habetur quæstio. Accusatur seditionis. Sed nullius conuictus criminis tanquam insons ad Herodem ablegatur. Hic cum militibus suis innocentem obsidet, ludibrijs excipit & tandem remittit ad Pilatum. Pilatus conuocatis primarijs Sacerdotibus & principibus populi iterum hominem longe innocentissimum circundat & victus Iudæorum acerrimis contentionibus morti adiudicat.

Adhuc fuit Christi apprehensio & condemnatio, descripta nimirum ab efficientium adiuncta multitudine, singulari potentia, & immanitate incredibili.

Sequitur Christi crucifixio & orta è crucifixione miseriarum infinita acerbitas. Crucifixio Christi vnà cum multiplicis

tiplicis & acerbissimæ passionis sensu inde orto, est hoc descripta enthymemate:

Affixerunt manus & pedes meos cruci: sic distenderunt corporis mei membra vt omnia ossa conspici & numerari possint: me in cruce pendentem summo gaudio intuentes maledictis & ludibrijs proſciderunt: partiti sunt inter se vestimenta mea, & pro indumento meo iecerunt sortem. ver. 17. 18. 19.

Itaque cruciatuum incredibilis acerbitas & angorum infinita vis me cepit & perculit, adeo vt tam animæ quam corporis vires vniuersæ attritæ prorsus & exhaustæ conciderint: immo ad cadaueris in sepulchrum reponendi conditionem redactus sim. ver. 15. & 16.

Antecedens enthymematis illustratur ab efficientibus administris. Hij dicuntur ver. 17. Canes & cœtus maleficorum: milites nempe Pilati, & permulti è fœce populi Iudaici. Sed in profundendis conuitijs & sannis societatem cum plebe & militibus coiêre summi Sacerdotes, Scribæ & Seniores. Mar. cap. 15. ver. 31.

Consequente enthymematis comprehensæ passiones, in specie sunt huiusmodi:

1. *Effundi sicut aquam*; id est, omnibus artubus summo languore correptis dissolui gradatim & dilabi ad interitum. ver. 15.
2. *Habere ossa luxata, & quasi diuulsa è locis suis.* ib.
3. *Habere cor sensu iræ diuinæ colliquatum, vt cera calore ignis liquescit.* ver. 15.
4. *Priuari humido radicali.* ver. 16. Vbi corporis Christi siccitas confertur cum siccitate testæ.
5. *Singularis ariditas linguæ & faucium.* ver. 16. Vbi ex ariditate ista orta sitis intelligenda est: vt constat ex Ioan. cap. 19. ver. 28.
6. *Expiratio Christi & sepultura.* ver. 16 in fine, Vbi in puluere lethali collocari, idem est quod obire mortem & esse instar cadaueris in sepulchrum inferendi.

Descriptio passionum Christi sic est: vnde concludi vult Christus debere se non derelinqui à Iehoua, sed gratiam

opemque

opemque consequi aduersus tam sæuos cruciatus & tam immanes hostes: quorum insignem feritatem & barbariem comparat cum immanitate & sæuitia taurorum, leonum, canum, vnicornium, & hominum gladio accinctorum ad vitam alijs crudeliter & protinus adimendam. Sic enim per metonymiam adiuncti vocem gladij ver.21. interpretor.

Sequitur Christi professio illustrandi nomen Iehouæ apud Iudæos & Gentes, si è tanta & tam incredibili miseriarum abysso liberationem consequatur. Professio illa tali syllogismo conclusa est:

Si accepta abs te liberatione à miserijs, quibus opprimor, longè grauissimis, celebraturus sum gloriam nominis tui apud Iudæos & Gentes: non debes me, mi Deus, derelinquere, sed liberare ab ijs malis, quæ me tantopere affligunt & conficiunt.

At recepta abs te liberatione à miserijs, quibus opprimor, longè grauissimis, celebraturus sum gloriam nominis tui apud Iudæos & Gentes. ver.23.& 28. id est, vocatione facta Iudæorum & Gentium ad cognitionem nominis tui, regnum Euangelij in vniuerso orbe constituam & propugnabo.

Ac proinde non debes, mi Deus, me derelinquere, sed liberare ab ijs malis, quæ me tantopere affligunt & conficiunt. ver. 2.12 20.21.22.

Assumptionis tractatio est à principio ver.23. ad Psalmi finem.

Assumptionis prius membrum, de celebratione nimirũ diuini nominis apud Iudæos, seu Iudæorum vocatio, est quinque versiculis comprehensa, viz. vers.23.24.25. 26. 27. Sed videamus quemadmodum professio ista celebrandi nomen Iehouæ apud Iudæos tractetur à Christo & explicetur. Ad id, quod instituit, vberiùs persequendum, multiplicem amplificationem subiecit:

1. *A descriptione Iudæorum, quos vocaturus est. Hos describit, partim ab adiuncta dignitate in ipsos collata: vtpote quos fratrum & cohæredum loco habeat* ver. 23. partim ab adiuncto studio colendi Iehouam ver.24.& 26.partim denique

denique à procreantibus causis. Vult enim intelligi eos à stirpe Iacobi oriundos esse, ver. 24.

2. *A circumstantia loci & temporis, vbi scilicet & quando celebraturus est nomen Iehouæ apud Iudæos. Laudabo* (inquit) *te in media congregatione* ver. 23. *& in congregatione magna* ver. 26. id est, & in eo loco vbi ad colendum Iehouam conuentus populi habetur, & eo tempore cum celebris est ac frequens consessus, nomen Iehouæ prædicabo, sic vt ab omnibus exaudiri possim.

3. *A subiecto concionis, quam apud Iudæos Christus habiturus est. Subiectum est instituta cohortatio vt Iudei vnà cum ipso se in laudatione Iehouæ coniungant, conclusa sic:*

Iehoua exaudijt orationem afflicti & ei liberationem concessit. ver. 25. Vbi est expolitio à Diuersis.

Itaque vnà mecum celebrate nomen Iehouæ. vers. 24.

4. *Ab effecto seu excellenti euentu habitæ à Christo concionis. Effectum quadruplex notatur.*

1. *Conuersio mansuetorum*: id est, eorum qui gratiæ extraordinariæ beneficio exculti ad motum disciplinam cœperunt sensu quodam & metu affici diuini numinis. Hij panē cœlestem Christi prædicatione oblatum non rejicient, sed de eo perlibenter comedent: id est, animo & voluntate conuersi doctrinam Euangelij amplexuri sunt. ver. 27. in principio.

2. *Progressus conuersorum in cognitione Euangelij.* ver. 27. *Et saturabuntur*, inquit: id est, non modò degustabunt panem cœlestem & exquisitissimas Euangelij delicias, sed de ijs quotidie sument ad explendam sitim & famē quam habent iustitiæ. Liberaliùs ergo de tam excellenti pane comestuři sunt: id est, ampliori in dies singulos Euangelij cognitione imbuentur.

3. *Praxis obedientiæ ad proportionem adeptæ cognitionis conformata. Laudabunt* (inquit) *Iehouam.* ver. 27.

27.in medio: id est, per Synecdochen partis, obibunt omnia pietatis & iustitiæ munera.

4. *Æternæ vitæ gloria*. ver.27. in fine. *Viuet* (inquit) *cor vestrum in sempiternum*: id est, Conuersi iam, Euangelij etiam luce plenius illustrati, & per omnem vitam fungentes officijs obedientiæ, hæreditatem æternæ vitæ cernetis.

Atque hæc de vocatione Iudæorum. Superest Christi professio de vocandis gentibus proposita primum versu 28. deinde reliquis Psalmi versiculis explicata. *Conuertentur* (inquit) *ad Iehouam omnes fines terræ ac familiæ gentiū*. Hanc de gentium vocatione thesin illustrat Christus partim ab efficiente, partim adhibita distributione è subiectis, partim ab effecto. Ab efficiente differitur in hunc modum:

Iehoua est Dominus Gentium. ver. 29. id est, quemadmodum gentes à Iehoua creatæ sunt: sic Iehouæ imperio & dominatu continentur: eas habet pro populo & ciuibus reipublicæ suæ.

Itaque ad Euangelij cognitionem gentes vocabuntur. vers. 28.

Distributio è subiectis sequitur. Vocabuntur (inquit) inter gentes ad Euangelij cognitionem:

1. *Pingues terræ*: id est, opulenti ac præpotentes. ver. 30.
2. *Descendentes in puluerem & qui animam suam seruare nequeunt*: id est, qui miserijs & ærumnis prope conficiuntur ver. 30.
3. *Horum omnium filij & ex filijs nati*. ver. 31.

Effectum gentium ad professionem Euangelij vocatarum restat. *Annuntiabunt* (inquit) *iustitiam eius populo nascituro*: nempe & eam quæ impium pro infinita misericordia in Christo iustificat, & eam, quā in promissionibus seruandis præstat. Sed quo argumento persuasæ gentes de Iehouæ iustitia apud populum nasciturum concionabuntur? Certè ad hoc munus accessuræ sunt adductæ contemplatione excellentissimæ cuiusdam liberationis à Iehoua in Messiæ persona præstitæ. Res est in hanc conclusa sententiam:

Concessit Messiæ Iehoua à morte & miserijs omnibus liberationem

tionem, & in ipsius persona, iis omnibus qui in Messiam credunt. ver. 32. in fine. vbi dicitur, *Quia Iehoua fecit illud,* id est, hanc de qua agitur liberationem Christo concessit.

Itaque populo nascituro annuntiabunt Iehouæ iustitiam. ver. 32. id est, singularia peractæ redemptionis beneficia, præstita scilicet actu & re, pro ea qua est Iehoua erga humanum genus infinita misericordia, atque etiam in promissis seruandis fide ac constantia.

PSAL. XXIII.

1 *PSalmus Dauidis. Iehoua pastor meus est. Non possum egere.*

2 *In pascuis herbidis facit, vt recubem: ad aquas lenes deducit mē.*

3 *Animam meam quietam efficit: ducit me par orbitas iustitiæ propter nomen suum.*

4 *Etiamsi ambulauero per vallem lethalis vmbræ, non timebo malum, quia tu mecum es: Virga tua & pedum tuum ipsa consolantur me.*

5 *Instruis coram me mensam in conspectu hostiū meorum: delibutum reddis vnguento caput meum: poculum meum exuberans.*

6 *Itaque bonum & benignitas prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ: & quietus ero in domo Iehouæ, quamdiu longa erunt tempora.*

ANALYSIS PSAL. 23.

Vt doceat Propheta quàm fœlici conditione vtantur, quorum est in Iehouæ nomen spes omnis reposita, dispu-

 tandum

tandum hoc Psalmo suscepit quæstionem perexcellentem & plenam consolationis suauissimæ. Est illa quidem Dauidis personæ accommodata in specie: sed quod ipse de se loquitur Propheta regius quatenus è numero fidelium est, id existimare oportet ad quosuis fideles pertinere generatim. Quæritur an Dauidi ad vsum præsentis & futuræ vitæ aliquid defuturum sit. Docet Propheta

Nihil sibi vnquam ad alterutrius vitæ vsum defuturum. vers. 1. & 6.

Quæstio conclusa est versiculo primo: eáque sexto repetita sed verbis magis illustribus & disertis. *Bonum* (inquit) *& benignitas prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ: & in æternum quietus ero in domo Iehouæ.* Non putauit satis esse dixisse, *non egebo.* Potuit siquidem obijci fore vt etiamsi hodie abundet vitæ subsidijs, deinceps tamen eisdem destituatur: & vtcunque ei in præsentis vitæ curriculo succedat fœliciter, nihilominus multa ipsi desint ad consequentis vitæ beatitatem. Vt igitur de primi versiculi sententia apertè constet, rem eandem ver. 6. repetit & interpretatur explanatius. Fruiturus sum (inquit ver. 6) multiplicibus bonis & subsidijs non ad tempus aliquod, sed ad extremum spiritum: immo non modo dum in terris peregrinor, sed in cœlis etiam per omnem æternitatem. Verùm quo argumento demonstrat nihil sibi vnquam, vel ad oportunitates vitæ præsentis, vel ad æternæ fruitionem defuturum esse? Demonstratio est istiusmodi:

Iehouæ (inquit) *magnæ curæ sum: is mihi de bonis omnibus sollicitè prospicit.* ver. 1. in principio.

Itaque nihil mihi vnquam ad alterutrius vitæ vsum defuturum est. ver. 1. & 6.

Antecedens enthymematis illustratur partim comparatione similium, partim inductione effectorum. Comparatio duplex adhibetur. In priori collatio elegans est diuinæ erga Dauidem curæ ac prouidentiæ cum pastoris boni erga oues studio & vigilantia: eáque metaphoræ continuatione à ver. 1. ad ver. 5. producitur. In posteriori comparatio est diuini erga Prophetam amoris & beneuolentiæ cum

summa

summa comitate, qua conuiuæ ab amicissimo sympofiarcha seu hospite officiosissimo excipiuntur. ver. 5.

Sed de similitudine priori primùm videamus.

Vt Pastor (inquit) *ouibus suis:*
Sic mihi Iehoua de bonis omnibus prospicit sollicitè.

Vtraque pars similitudinis est in vnum enunciatum inclusa & complicata ver. 1. At si enunciati, quod priori incisio versiculi primi continetur, sensum explicare volumus: constabit illico tam de propositione quàm de redditione similitudinis.

Posteriori à similibus comparationi præmittitur illa (de qua supra memini) ad demonstrandam enthymematis antecedentem partem inductio effectorum quorundam Iehouæ, conclusa ad hanc formam:

Si Iehoua mihi prospicit de ijs omnibus quæ & corporis mei & animæ & totius personæ incolumitatem spectant: tum Iehouæ magnæ curæ sum: tum is mihi de bonis omnibus prospicit.

At Iehoua prospicit mihi de ijs omnibus quæ & corporis mei & animæ & totius personæ incolumitatem spectant. ver. 2. 3. 4.

Itaque Iehouæ sum magnæ curæ: is mihi de bonis omnibus prospicit.

Assumptio syllogismi tria Iehouæ effecta excellentissima complectitur.

De primo effecto loquitur versiculus secundus: vbi particularium actionum inductione generale illud Iehouæ officium de procurandis ijs, quæ Prophetæ corpus attingunt, explicatur in hunc modum:

Prospicit mihi Iehoua de alimonia, de loco ad quietem opportuno, de commoditate potus & refrigerij. vers. 2. Huius sententiæ expolitio continuatione similitudinis à pastore petitæ perficitur: Ac si diceretur: vt ouiculis à pastore prouidetur de pastu, de caulis, de adaquatione: sic mihi de ijs, quibus continetur salus corporis, diuinitus prospicitur.

Itaque diuino munere assequor vt nihil mihi earum rerum

 desit

desit quæ corporis mei incolumitati conducunt.

De secundo Iehouæ effecto meminit versus tertius. *Animam meam* (inquit) *quietam reddit:* id est, cùm infirmitate carnis, sensu admissi peccati, & diuinæ iustitiæ intuitu adductus langueo totus ac contremisco: tum persuadet mihi Spiritus sanctus de Iehouæ erga me gratuita & præclara voluntate, de remissione scilicet delictorum omnium & adoptione in filium. Vnde enascitur illa animæ meæ in Iehouæ erga me singulari amore conquiescentis pax suauissima. Hîc pastori comparatur Iehoua ouiculæ animam respicienti, vt libera à metu conseruetur. Est enim animal timidiusculæ naturæ, & ad strepitus quantumuis leuiores se facile commouentis.

Tertium Iehouæ effectum, de incolumitate nempe qua Dauidis personam coniunctim prosequitur, bipartitum statuitur:

1. *Aliud de Iehouæ studio conformandi Prophetam ad exercitia pietatis & iustitiæ.* ver. 3. in medio. Vbi est huius effecti amplificatio à fine, vt nempe in Iehouæ nomen nullo dedecore & labe violatum omnis gloria redundet è Prophetæ vita legi diuinæ congruenter acta. In hoc confertur pastori Iehoua, curanti nimirum ne aberret & vagetur ouicula, sed intra cancellos viæ rectæ & expeditæ se contineat.

2. *Aliud de securitate præstanda Dauidi aduersus Satanæ insidias & periculosas offensiones.* ver. 4. *Non timebo* (inquit) *malum:* id est, *facis tu Iehoua vt in medijs malis & imminentibus periculis securus sim.* Huius effecti exornatio est partim à diuersis, partim ab efficiente.

A diuersis sic:

Etiamsi hominum fraude vel astu Satanæ in discrimen extremum incidero, ver. 4 in principio:

Tamen in diuinam prouidentiam mente secura admodum, & soluta recumbam. ver. 4. in medio.

Ab efficiente sic:

Tu mecum es: tu me consolaris: id est, *singulari quadam prouidentia ad tuendam salutem meã excubas.* v. 4. in fine.

Itaque

Itaque in medijs malis & imminentibus periculis securus sum. ver. 4. in medio.

Ad expolitionem antecedentis protrahitur similitudo illa ducta à pastore: qua Iehouæ prouidentia ad Prophetæ salutem excubans virgæ & pedo pastoris comparatur. Virgæ ictu corrigitur ouicula aberrationis nomine, & ad ingrediendum vias faciles & expeditas propellitur. Pedo autem reuellitur, & in pristinam conditionem restituitur, siquando periclitari cœperit. Haud dissimili ratione agit cum Dauide Iehoua. Delinquentem & à recta legis semita aberrantem corripit. Exceptum Satanæ insidijs aut in alia pericula coniectum extrahit, & ad se peramanter recipit: adeo vt meritò affirmet Propheta, virgam Iehouæ & pedum esse sibi summæ consolationi, id est, periclitanti sibi opem & subsidium afferre: ex quo non vulgaris consolatio suppeditatur. Consolationis igitur voce per effecti metonymiam intelligenda est consolationis efficiens.

Superest ad illustrationem diuinæ erga Dauidem beneuolentiæ & amoris posterior illa comparatio traducta ab authore & præfecto instruendi conuiuij. vers. 5. Comparatio est illa quidem contracta: at euoluta & partibus suis distincta erit huiusmodi:

Vt amicissimus symposiarcha seu officiosissimus hospes conuiuas suos adeo comiter & opipare excipit, vt nihil vel ad vsus necessarios vel ad ornatum & splendorem desideres:

Sic mihi Iehoua de bonis omnibus & ad vsum vitæ & ad elegantiam ac nitorem spectantibus studiose prospicit. ver. 5. Vbi versiculi primū tertiūmque membrum de rerum, quibus vitæ sustentatio continetur, vbertate & copia loquitur: secundum de ijs, quibus venustati inseruitur. Nam apud veteres, cum oleo & vnguentis conuiuæ illustriores perfunderentur, habita ratio est non necessitatis sed splendoris & elegantiæ.

Comparationis redditio, quæ eadem est cum primi enthymematis antecedente, notatione adiuncti honoris amplificatur. *Instruis* (inquis) *mihi mensam, meq; lautè admodum*

dum & splendidè excipis in conspectu hostium meorum: id est, cum meo summo honore & singulari applausu omnium. Erat in more positum apud priscos, vt qui gesto bello victoriam reportarent, hostes deuictos captósque, dum partæ victoriæ nomine opiparè & magnificè epularentur, ante se ad gloriam reportatæ victoriæ luculentius ornandum statuerent. Sic egit cum Dauide Iehoua, dum scilicet ornaret ipsum eiusmodi testimonio curæ & amoris sui, quod ipsi non minus honoris & gloriæ apud omnes attulit, quàm victoribus, dum exquisitissimis epulis accumbunt, afferre solet hostium captorum publica & solennis ostentatio. Est igitur in illam loquendi formulam *(in conspectu hostium)* inclusa insuper comparatio ad amplificationem honoris in Dauidem collati.

Hinc iam concludere Propheta meritissimò potest, fore vt ipsum Iehoua bonis omnibus non ad exiguum tempus sed in æternum prosequatur.

PSAL. XXIIII.

1 *DAuidis Psalmus. Iehouæ est terra & quod impleet eam: orbis habitabilis & habitantes in eo.*

2 *Nam ipse super maria fundauit illam, & super flumina stabiliuit illam.*

3 *Quis ascensurus est in montem Iehouæ, & quis staturus in loco sanctitatis eius?*

4 *Innocens manibus & purus animo: qui non effert ad vanitatem animam suam, neque iurat ad fraudem:*

5 *Is reportat benedictionem à Iehoua & iustitiam à Deo salutis suæ.*

6 *Hæc*

6 *Hæc est generatio requirentium eum: quærentium faciem tuam, generatio Iacobi. Selah.*

7 *Attollite portæ capita vestra, & attollite vos ostia mundi, vt ingrediatur Rex gloriæ.*

8 *Quis est iste Rex gloriæ? Iehoua robustissimus & potentissimus: Iehoua potentissimus bellator.*

9 *Attollite portæ capita vestra: attollite (inquam) ostia mundi, vt ingrediatur Rex gloriæ.*

10 *Quis est iste Rex gloriæ? Iehoua exercituũ: is est Rex gloriæ. Selah.*

ANALYSIS PSAL. 24.

Complexus est Psalmo vicesimo quarto suasionem quandam Propheta ad Christum Iesum summo studio excipiendum & amplexandum. Sed quinam illi sint, quibus de isto tam excellenti officio persuadere vult, nondum inter Psalmorum interpretes conuenit. Portas affatur ver. 7.& 9. Propheta regius: eas hortatur, vt recluso quamprimùm & patefacto aditu Christum intromittant. Portarum nomine alij fores cœli, alij ianuas templi Salomonici, alij Ecclesiam, alij Principes ac magistratus intelligi existimant. Si quis à me sciscitetur quã ego è tam multiplici interpretatione maximè probabilem esse censeam: etsi alijs interpretibus plurimum tribuendum esse putem, nec de eorum authoritate quicquam detractum esse velim: tamen in duorum versuum, quos supra commemoraui, interpretatione primas Hen. Mollero deferendas esse arbitror. Quid ergo Mollerus portarum voce significari vult? Quos Molleri opinione alloquitur & ad tam singulare officium hortatur Propheta? Alloquitur certè principes & magistratus. Hi illi sunt qui, quòd in ciuitatum portis pro more apud veteres recepto magnarum rerum iudicia obirent & disceptandis controuersiis pręessent, idcirco per metonymiam portæ nominantur, id est, iurisdicundi in portis summi authores & principes. Suasione

ne igitur, quæ Psalmo vicesimo quarto proponitur, summos principes ac magistratus compellari statuo: idque in hanc sententiam:

Christum Iesum, illustrissimi principes & magistratus, summo studio quamprimum excipite & amplexamini. vers. 7. & 9.

Videamus iam quibus argumentis cohortationem istam persequatur. Primum est tale:

Arg. 1. *Iehoua est terræ & omnium terram implentium & incolentium Dominus.* vers. 1. Iehouæ appellatione Christum Iesum notari verisimile est, cum de eo agnoscendo ac colendo instituta cohortatio sit. Atque in hoc mihi Tremellium minimè repugnantem habeo.

Itaque Christum Iesum Iehouam vestrum (principes & magistratus illustrissimi) summo studio quamprimum complectamini, illiúsque imperio & legibus subyciamini. vers. 7. 9.

Antecedenti enthymematis amplificatio adiungitur ab effecto Iehouæ:

Iehoua terram terræq́; complementa & incolas creauit & numine suo sustinet ac tuetur. ver. 2. Ybi vocabulis fundandi terram & stabiliendi, actiones illæ creationis, sustentationis & administrationis significantur. Sed adjicitur exornatio à terræ fundatæ & constitutæ subiecto loco. *Fundauit* (inquit) *illam super maria & flumina*, id est, sic eam statuit & fixit, vt depulsis in suos alueos maribus & fluentis, ipsa interim supra emineat & extet ad commodam hominum habitationem. Quamobrem Psalmo 104. maria appellantur terræ bases & velut statumina, quibus latera terræ circumquaque fulciuntur ac sustinentur.

Itaque Iehoua est terræ & omnium terram implentium & incolentium Dominus. ver. 1.

Commoueri nonnihil argumento isto magnates ac principes populi necesse est, si paulo accuratius attenderint quid in ipsos iuris obtineat Christus Iehoua ratione creationis & Dominij. Non tamen hic se Propheta sustinet: sed studio quodam

quodam accensus Monarchas & principes auocandi ab incredulitate & morte ad beatam spem immortalitatis & gloriæ; disserit apud eos de subiecta persona, in quam cadit æternæ vitæ decus & fœlicitas. Non prohibentur reges cæteriue optimates ab aditu in regnum cœleste: sed ijs tamen patet aditus in regnum illud, non quatenus principes & magnates sunt, sed quatenus fide in Christum Iesum adoptati in filios Dei, jus hæredum vnà cum Christo consecuti sunt. Hinc est quòd apud clarissimos orbis terræ principes & magistratus Propheta contestetur, Solis pijs in regno cœlesti locum concedi, vt intuitu miserrimæ conditionis, cui mancipati sunt, moueantur ad inquirendum de Christo Iesu & quemadmodum sese è tantis periculis & miserijs, quibus constricti tenentur, explicare possint. Sed vt constet quantum sit in adhibito argumento ponderis: videamus quàm ad persuadendum aptè concludatur.

Arg. 2. *Si pijs solis in regno cœlesti locus est: tum par est vt vos, serenissimi principes & magistratus, si beati regni hæreditatem adire cupitis, Christum Iesum amplectamini & vias pietatis consectemini.*

At solis pijs in regno cœlesti locus est. ver. 3. 4. 5.

Itaque par est, serenissimi principes, vt Christum Iesum amplectamini & vias pietatis consectemini. ver. 7 & 9.

Assumptio exhibetur figurata dialogismo. Interrogatio est ver. 3. responsio ver. 4. & 5. Quid de monte Iehouæ & loco sanctitatis eius versu tertio intelligi velit Propheta, docet versiculo quinto. Ascēdere igitur in montem Iehouæ & stare in loco sanctitatis eius, idem est quod æternæ vitæ benedictionem & iustitiæ per Christi mortem adeptæ gloriam consequi. Hijs siquidē bonis liberati scilicet à maledictione crucis & æterna iustitia donati, fruimur in monte Iehouæ & loco sanctitatis eius, id est, in regno cœlesti. De hac interpretatione assentientur mihi ij omnes, qui è quarto & quinto versiculo vnum duntaxat enuntiatum constituunt, existimantes subiectæ responsionis partem consequentem ver. quinto comprehendi.

Atqui vero, cum ex infinita hominum multitudine soli

pii

pii hæreditatem cœlestis gloriæ adituri sint, iure quæri potest quosnam Propheta in album piorum referendos esse iudicet. In eo satisfacere nobis conatur è descriptione piorum. Descriptio est

Partim ab adiunctis. Nam is pius est, in quo elucet integritas vitæ, animi, cogitationum & sermonum. ver. 4. Ac contra qui externæ vitæ actionibus peccat; cuius cor vel prauis opinionibus imbutum est vel inquinatum vitiosis affectibus vel cogitationibus vanissimis irretitum: denique cuius oratio est aspersa iuramentis & fraudibus mendaciorum, is impius meritò dici potest.

Partim ab effectis: professione scilicet & studio obeundi munera præscriptæ à Iehoua pietatis & iustitiæ. ver. 6. Vbi requirere Iehouam seu Iehouæ faciem quærere, idem est quod sedulò operam dare pietati. Quomodo versiculi sexti posterior clausula reddenda & exponenda sit ambigitur inter Psalmorum interpretes. Nihil meo iudicio consequetur absurdi, si sic reddamus: *quærentium faciem tuam ô Iacob.* Iacobi nomine verum ac sincerum Iehouæ cultorem intelligo. Sed quæ est istius Iacobi facies? Certè ea, quam sollicitè quærere & intueri solet Iacobus: vt is Iacobi Deus est, quem inuocandum sibi colendum proponit. Priscis temporibus arca fœderis, in qua inter Cherubinos Iehoua gloriosus insidebat, rectè dicebatur facies Dei: vtpote quæ esset illustre symbolum præsentiæ diuinæ. Ad hanc faciem oraturi Iudæi se conuerterunt. Ad hanc confugerunt, qui miseriis & periculis liberari voluerunt. Atque *hæc est illa facies Iacobi:* id est, ad quam recipere se & quam rebus afflictis studiosius requirere verus Dei cultor volebat.

Restat adhuc postremum institutæ cohortationis argumentum: ductum nimirum à descriptione Christi Iesu, ea certè quæ singularem vim habet ad Principibus & Monarchis persuadendum de Christo intromittendo & comiter excipiendo, nisi insigniter refractarij & contumaces esse velint. Sic enim è Christi descriptione concluditur proposita

cohor-

cohortatio eleganti dialogismo exornata:

Arg. 3. *Christus Iesus est Rex naturæ suæ maiestate & rerum gestarum gloria longe clarissimus: est Iehoua, Deus nempe sempiternus, cuius numine creatata sunt & sustinentur omnia: est ad bella conficienda & ad hostes cuiuscunque generis expugnandos potentissimus, adeo vt ad ipsius nutum quantumuis infinitæ militum cohortes & exercitus consistant in acie vel concidant. ver. 8. & 10.*

Quapropter, illustrissimi principes, nolite diutius aduentanti ad vos Christo Iesu aditum occludere: reserate cordium & vrbium vestrarum portas, vt intromissus rex gloriæ vobis spiritu suo ac verbo præsit & tandem ad gloriam æternam conducat.

PSAL. XXV.

1 ALeph. *Ode Dauidis. Ad te Iehoua animam meam attollo.*

2 Beth. *Deus mi, in te confido: ne pudefiam, ne exultent inimici mei de me.*

3 Gimel. *Etiam vlli expectantes te non pudefient: pudefient qui perfidè agant immeritò.*

4 Daleth. *Vias tuas Iehoua notas fac mihi: semitas tuas doce me.*

5 He. Vau. *Dirige me in veritate tua & doce me. Nam tu es Deus salutis meæ; te expecto totum diem.*

6 Zajin. *Recordare miserationum tuarum Iehoua & benignitatum tuarum: eas à seculo esse.*

7 CHeth. *Peccatorum pueritiæ meæ & defectionum mearum ne recorderis: secundum benignitatem tuam*

tuam recordare mei, propter bonitatem tuam Iehoua.

8 Teth. *Bonus & rectus Iehoua est: idcirco docebit peccatores viam:*

9 Iod. *Faciat vt incedant mansueti ex iure, & docebit mansuetos viam suam.*

10 Caph. *Omnes semitæ Iehouæ benignitas & fides sunt, custodientibus fœdus eius & testimonia eius.*

11 Lamed. *Propter nomen tuum Iehoua condonabis iniquitatem meam vtcunque magna sit.*

12 Mem. *Qualis futurus est vir ille, qui reueretur Iehouam? docebit ipsum quam viam eligat.*

13 Nun. *Anima eius in bono pernoctabit: & semen eius hæreditario iure possidebit terram.*

14 Samech. *Arcanum Iehouæ est pro reuerentibus ipsum: & fœdus eius, vt id notum faciat ipsis.*

15 Hajin. *Oculi mei iugiter ad Iehouam respiciunt: quia ipse educit è reti pedes meos.*

16 Pe. *Respice ad me & gratiam fac mihi: quia solitarius & pauper sum.*

17 Tsadi. *Oppressiones animi mei dilatant se. Ab angustijs meis deduc me.*

18 Coph. *Aspice afflictionem meam & laborem meum: & condona omnia peccata mea.*

19 Resh. *Aspice inimicos meos. Nam multiplicati sunt: & odio violento oderant me.*

20 Sçin. *Serua animam meam & eripe me; ne pudefiam: quia recipio me ad te.*

21 Thau.

21 Thau. *Integritas & rectum custodiant me: quia expecto te.*

22 Pe. *Redime Deus Israelem ab omnibus oppressionibus eius.*

ANALYSIS PSAL. 25.

Hac ode multiplex petitio continetur: sed illa princeps est qua petitur liberatio ab aduersarijs: cæteræ sunt intextæ obiter.

Postulatum de liberatione ab aduersarijs proponitur primò in secundi versiculi medio. Deinde repetitur vers. 16. 17. 20.

Versu secundo petit regius Propheta ne pudefiat: id est, ne spem, quam de liberatione sua concepit, irritam esse Iehoua patiatur. Quod perinde valet ac si verbis disertis à Iehoua contenderet, vt elusis & profligatis hostibus è capitis fortunarúmque omnium periculo liberetur.

Quod ver. 16. postulatur in genere, id ver. 17. & 20. petitur in specie. *Respice ad me* (inquit ver. 16.) *et gratiam fac mihi:* id est, *ex angustijs meis deduc me, et serua animam meã*, vt loquitur Propheta ver. 17. & 20.

Videmus iam huius hymni thesin principem liberationis petitione contineri. Sed quibus argumentis persuadet liberationem ab hostibus Propheta? In ipso Psalmi ferè exordio occurrunt tria, eáque momenti haud mediocris.

Primum est celebre illud & magnificum fidei effectum, ab ipso Iehoua tantopere approbatum.

Arg. 1. *Ad te* (inquit) *ô Iehoua bonitate tua fretus confugio.* ver. 1. & 2. Vbi attollere animam ad Dominum idem est quod ad Dominum omni cordis affectu se recipere: & non aliunde quàm à Domino omnes animæ spes & cogitationes suspensas habere.

Itaque mihi de incolumitate consule liberatione concessa ab ijs, in quibus versor grauissimis periculis. Hoc enim vult ver. 2. dum vrget, ne pudefiat. Atque hoc idem est, quod iteratur ver. 16. 17. 20.

Sed

Sed instat Propheta docétque in liberationis suæ negotio Iehouæ gloriam agi. Nam repudiatæ petitionis euentus eiusmodi futurus est vt eo de Iehouæ gloria plurimum detrahi necesse sit. Ac proinde è contemplatione euentus, qui è reiecta supplicatione consequetur, sic apud Iehouam disserit:

Arg. 2. *Si mihi periclitanti iam grauissimè & ad opem tuam confugienti non succurris: mihi insultabunt hostes mei insolentius, perinde ac si fiduciam in te serui tui frustra collocent.*

At occurrere te huiusmodi insultationi par est, qua tuæ erga fideles tibi supplicantes misericordiæ gloria imminuitur. ver. 2. *Non patiere* (inquit) *me pudefieri, ne exultent hostes mei de me:* id est, me qui ad te confugerim minimè liberato, hostes mei illudent mihi de reposita spe in nomen tuum: & tibi ad subueniendum tuis aut voluntatem aut facultatem deesse prædicabunt. At hoc ad nominis tui decus neutiquam cessurum est, cum profitere esse te patrem & vindicem eorũ, qui promissionum tuarum veritate nixi gratiam tuam opémque implorant.

Quapropter mihi grauissimè iam periclitanti, & ad te confugienti succurre. vers. 2. in medio, & vers. 16. 17. 20.

Pergit adhuc & Iehouam recenti argumento compellat, eum de fructu admonens qui è concessa liberatione ad fideles redundaturus est.

Arg. 3. *Me* (inquit) *erepto è periculis, & per te in integrum restituto, fideles omnes in fiducia promissæ abs te gratiæ & bonitatis confirmabuntur.* ver. 3. in principio.

Quamobrem noli deesse mihi in angustiis constituto; sed pro tua bonitate subuenito. ver. 2. 16. 17. 20.

Enthymematis antecedens illustratur à Dissimili, sic:

Inimici mei, qui nulla à me lacessiti iniuria me atrocissimè persequuntur, spes suas & conatus omnes ad nihilum recidisse perspicientes, se mærore & desperatione conficient. ver. 3. in fine.

At

At fideles omnes, vbi me liberatum è periculis cognouerint, eò maiori fiducia & spe ad te confugient, siquando in pericula & angustias inciderint. ver. 3. in principio.

Isthuc progressus, institutæ supplicationis cursum inhibet Propheta. Etenim venit ipsi in mentem posse Iehouam obiicere, *Non esse scilicet cur de liberationis negotio* tam acriter & importunè agat: *nescire eum quid consilij sequatur Iehoua in excitandis aduersus ipsum aduersarijs.*

Hîc vt ipse sibi satisfaciat Propheta, agnoscit ignorantiam suam: ac propterea petit vt de consilio diuinæ voluntatis erudiatur, in iis præsertim quæ immissæ afflictionis tempore vitæ instituendæ & formandæ rationem spectant. ver. 4. & 5. Viæ igitur & semitæ, quas exploratas habere cupit, sunt rationes illæ verbo diuino complehensæ, ad quarum normam accommodatè incedere oportet, si quando affligamur. Eas si quis minus calluerit, facile in consiliis capiendis errabit; facile abripitur vel æstu impatientiæ vel cupiditate vindictæ vel alio deprauato affectu: facile rerum desperatione prouocatus languescit & concidit.

Sed quo argumento persuadere Iehouæ vult Dauid, vt in hisce tam excellentibus vijs instruatur? vt Dauidi tam æquum postulanti concedat Iehoua, duplex ratio affertur: altera ab adiuncto Iehouæ: ab effecto Prophetæ altera.

Tu es (inquit) *Deus salutis meæ*, id est, cui salus mea summæ curæ est, & qui solus omnes vias tenes expediendæ incolumitatis meæ.

Itaque erudi me de consilio voluntatis tuæ, quatenus facere id ad salutem meam possit; vers. 4. & in principio vers. 5.

Ratio ducta ab effecto Prophetæ sequitur, conclusa sic:

Te expecto totum diem: id est, non desino perenni studio attendere, dum erudiar de voluntatis tuæ consilijs salutem meam spectantibus. ver. 5 in fine.

Placeat igitur tibi Iehoua erudire me de voluntatis tuæ consilys salutem meam spectantibus. ver. 4. & 5. *Dirige* (inquit) *me in veritate tua*: id est, vt continuò interpretatur ipse, *Doce me, seu fac me institui in monitis & præ-*

ceptis verbi tui, ijs scilicet quę salutem meam spectant: qualia sunt ea quæ loquuntur de promissionibus gratiæ, de reponenda in Iehouam fiducia, de consilio Iehouæ in castigationibus adhibendis, &c.

Sed ecce: peccatorum conscientia adductus Propheta, etiam hoc posterius interrumpit postulatum. Occurrit siquidem, deliquisse se aduersus Iehouam multipliciter: ac proinde nihil causæ subesse, quemobrem Iehoua cum ipso consilia voluntatis suæ communicaret. Obiectus Dauidi scrupulus & quo se non mediocriter pungi sentiebat, eiusmodi est:

Peccatores non docebit Iehoua vias suas.

Tu es peccator.

Te itaque Iehoua non docebit vias suas.

Quomodo expedit se hoc loco Propheta? Quomodo tollit quicquid impedimenti afferre peccata queant, quo minùs id quod petit gratiæ consequatur? Primùm de obiectionis Assumptione assentitur. Ac proinde ver. 6. & 7. de venia delictorum cum Iehoua agit. Ignosci sibi vult non modo hodierna peccata, quibus sese indies obstringit, sed etiam delicta ineuntis & anteactæ jamdiu ætatis, labem nempe originalis deprauationis, & quæ inde exortæ sunt defectiones turpissimæ. Ac ne Iehouam institutæ petitioni aduersantem habeat, visum est admonere ipsum & pristinæ misericordiæ iam inde à mundi creatione præstitæ, & glorię quam ex adhibita clementia & ignoscendi facilitate adeptus est. Argumentatur itaque primò in hunc modum:

Extitisti ô Iehoua iam inde ab orbe condito longè clementissimus & ad ignoscendum hominibus peccata facillimus. ver. 6.

Quapropter pari iam erga me clementia & facilitate in peccatis condonandis vtere. ver. 7.

Deinde è notata accessione gloriæ, quæ tributam Dauidi à Domino peccatorum veniam consecutura est, in hanc sententiam ratiocinatur:

Illustrabis ô Iehoua bonitatis tuæ gloriam concessa mihi peccatorum venia. ver. 7. in fine. Sic enim interpretor clausulam illam, *Propter bonitatem tuam.*

Itaque

Itaque ne recordére delictorum meorum, siue ea sint vitæ anteactæ siue præsentis. ver. 7 in principio.

Hactenus de propositæ obiectionis Assumptione egit Propheta.

Quod ad propositionem attinet, de ea assentiri Dauid non potest, si de peccatoribus intelligatur generatim. Nam qui eius generis peccatores sunt qui mansueti dicuntur, id est, quorum animos Spiritus sanctus ad disciplinam & reuerentiam Iehouæ mitigauit & excoluit, eos Iehoua in vijs suis non grauatur erudire. Huius problematis confirmatio petitur, partim ab adiuncta natura Iehouæ vers. 8. partim à fine & genere.

A Iehouæ adiuncta natura conclusio huiusmodi deducitur:

Iehoua bonitate & fide erga mansuetos liberanda excellit. ver. 8. in principio.

Itaque peccatores seu mansuetos erudiet in vijs suis. vers. 8. in fine.

Versu nono subjicitur tractati problematis illustratio à fine. *Docentur siquidem peccatores eo consilio vias Iehouæ, vt incedant ex iure*, id est, vt vitam agant legi diuinæ congruentem. ver 9.

Restat confirmatio propositæ quæstionis à genere:

Nihil omittit Iehoua quod mansuetorum saluti possit conducere. ver. 10. Hanc decimi versiculi interpretationem instituto Prophetæ maxime accommodatam esse arbitror. Hîc mansueti seu peccatores illi, de quibus loquitur ver 8. describuntur ex eo quòd fœdus Iehouę & testimonia custodiant, id est, enitantur vt custodiant.

Itaque peccatores seu mansuetos docebit vias suas Iehoua. ver. 8. in fine.

Priusquam in disceptanda enthymematis antecedente progreditur, Prophetæ è peccati conscientia rursum suggeritur: *Esse nimirum peccata ipsius admodum grauia, non offensiones leuiusculas: Ac proinde nolle Iehouam erudire ipsum in vijs suis.* Hîc Propheta, versu nempe vndecimo, allatæ

obiectionis consequentiam negat, & animo confidenti respondet Condonatum iri delicta tua, vtcunque atrocia & grauia fuerint. Fore vt Iehoua ipsum hac gratia prosequatur, docetur à fine. Propter nomen tuum (inquit vers. 11) condonabis iniquitatem meam: id est, ad illustrandam gloriam misericordiæ erga me tuæ ignosces mihi, vtcunque grauiter deliquerim. Si igitur Iehoua ad amplificandum decus clementiæ & bonitatis suæ concessurus est Dauidi veniam delictorum: non sequetur, si grauioris peccati conuictus fuerit, ideo nolle Iehouam instituere ipsum in cognitione legis suæ.

Refutata obiectione de peccatorum grauitate, redit Propheta ad antecedentem enthymematis, eámque specialium inductione illustrat. Inductio est ver. 12. exornata dialogismo. *Qualis* (inquit) *futurus est vir ille qui reueretur Iehouã?* Perinde ac si diceret: Cum nihil omittat Iehoua, quod ad eorum, qui pietati student, salutem valere possit, necesse est vt qui Iehouam reuerentur, fœlici conditione vtantur. Sed inductionem videamus.

Iehoua cultores suos docebit quem vitæ cursum velit ab ijs teneri. ver. 12. *conferet in eos ius & bona æternæ vitæ.* ver. 13. in principio. *largietur ipsis suauissima præsentis vitæ commoda, nempe propagationem sobolis & magnitudinem opum & possessionum.* ver. 13. in fine. *communicabit cum ipsis mysteria voluntatis suæ, & capita excellentissimæ doctrinæ fœdere suo comprehensæ.* ver. 14.

Itaque nihil omittet Iehoua quod piorum saluti possit conducere. ver. 10.

Disceptatæ adhuc sunt, nimirum à principio versu 4. ad versum decimum quintum, obiectiones tres, & insertæ obiter petitiones duæ. Iam reuocat ipse se Propheta & ad principem supplicationem persequendam regreditur. Supplicat Iehouæ de concedenda liberatione ab aduersarijs. Id vrget variè: primùm repetito, quod in Psalmi exordio proposuit, argumento: sed adhibita repetiti argumenti expolitione à testimonio obseruationis suæ.

Arg. 4. *Ad te confugio* (inquit) *& à te solo opem expecto.* vers.

ver.15.in principio.

Itaque respice ad me,& gratiam fac mihi. vers. 16. id est, liberationem ab aduersarijs concede mihi.

Antecedentis expolitio est ver.15 conclusa sic:

Obseruaui antehac extitisse te semper mihi liberatorem è periculis. ver.15. in fine. Sic ego authore Musculo hanc clausulam de educendis è reti pedibus interpretor.

Ad te igitur confugio,& à te solo liberationem ab aduersarijs expecto. ver.15.in principio.

Deinde ad id quod petitur impetrandum, proponit ob oculos Iehouæ adiunctas personæ suæ calamitates: nempe & miseram conditionem in qua versatur & magnitudinem afflictionis qua premitur. Vtrumque hoc Syllogismo concluditur argumentum:

Arg.5. *Destituor* (inquit) *omnibus humanis subsidijs:& ea est præsentis miseriæ grauitas vt eâ penè obruar.* vers.16. in fine:& vers.17.in principio.

Itaque succurre mihi ô Iehoua,& me ab hostibus libera. v.16 in principio: & ver.17 in fine.

Vers.18. Mali,quo se vers 17.tantopere affligi querebatur,magnitudo repetitur: sed iterata similiter petitione de remissione peccatorum.

Expositis personæ suæ calamitatibus: institutæ supplicationi gratiam conciliare vult à descriptione hostium suorum. Describuntur ab adiunctis.

Arg.6. *Magnæ* (inquit) *sunt hostium meorum copiæ: magnæ vires: & immane erga me odium.* ver.19.

Itaque pro singulari misericordia opitulare mihi, nec patiare me eorum iniquissimis consilijs & conatibus opprimi. ver. 20. Vbi adhibetur repetitio argumenti primi: & petitionis iteratio multiplex. *Serua* (inquit) *animam meam: eripe me: ne patiare me pudefieri.* Hinc constat versatum fuisse in summo discrimine Prophetam: & existimasse non alienum esse si è fiducia opis diuinæ in supplicando adhibeatur importunitas.

Quemadmodum superioribus versiculis personæ suæ

calamitates exposuit, vt ex ipsarum contemplatione Iehouę de petitione liberationis concedenda persuadeat: sic v.21. personæ suæ adiunctam innocentiam ad instituti postulati suasionem proponit.

Arg. 7. *Sum* (inquit) *nullius erga hostes meos culpæ aut iniuriæ illatæ reus.* v.21.

Par idcirco est vt me à crudelitate inimicorum meorum vindices. vers.21. Enthymematis huius pars vtraque priori membro versiculi inuoluta exhibetur.

Consequentia enthymematis hanc illustrationem habet:

Nitor promissione auxilij tui facta ijs qui culpa vacant, & qui immeritò opprimuntur. ver.21. in fine. Sic enim interpretor clausulam illam, *Expecto te.*

Ac proinde cum vacem culpa, & nullo meo merito ab aduersarijs opprimar, par est vt me ex istis miserijs eripias, & pristinæ incolumitati restituas.

Postremo Psalmi versiculo petitionem contineri affirmant interpretes pro salute totius Ecclesiæ. Probabile verò esse supplicari Iehouæ pro Ecclesiæ salute, constat è forma orationis, qua versiculi sententia enuntiatur. Sed liceat mihi bona cum venia dissentire ab interpretibus, & existimare comprehendi eo versiculo non tam supplicationem pro incolumitate Ecclesiæ, quàm argumentum ad Iehouæ persuadendum de concedenda liberatione, quam hoc Psalmo tantopere vrget Propheta. Neque obstat orationis forma quo minus in hanc sententiam versiculus explicetur: eritque istiusmodi interpretatio Prophetæ instituto valde consentanea: vtpote quæ argumentum comprehensura sit ponderis apud Iehouam singularis. Præterea mihi non admodum credibile videtur Prophetam orationis & ardoris tantum in re priuata voluisse expromere, & in publica interim afflictæ Ecclesiæ causa peroranda Laconismo vti & tantopere frigere.

Sed quale tandem argumentum est quod adhiberi dicimus à Propheta? Certè admonet Iehouam de excellenti fructu, quem Ecclesia, cui Israelis nomen attribuit, è liberatione

tione sua perceptura est. Sic igitur à Dauide differitur:

Arg. 8. *Me, quem Israeli tuo præfecisti, erepto è periculis & pristinæ incolumitati restituto, vnà Israelem tuum liberabis & redimes ab omnibus oppressionibus.* vers. 22.

Itaque id gratiæ concede mihi ô Iehoua, vt liberatus ab hostibus pristinæ incolumitati restituar, vers. 20.

PSAL. XXVI.

1 *ODe Dauidis. Iudicem meum age Iehoua quoniam ego in integritate mea ambulo: & Iehoua confido me non vacillaturum.*

2 *Proba me Iehoua & tenta me, examina renes meos & animum meum.*

3 *Certè benignitas tua coram oculis meis est: itaque indesinenter ambulo in veritate tua.*

4 *Non sedeo cum hominibus vanis, & cum dissimulatis non conuenio.*

5 *Odi congregationem maleficorum, & cum improbis non sedeo.*

6 *Lauo in innocentia manus meas, & circumeo altare tuum Iehoua,*

7 *Personando voce gratiarum actionis & enarrando omnia mirabilia tua.*

8 *Iehoua, diligo habitaculum domus tuæ, & locum tabernaculum gloriæ tuæ.*

9 *Ne aggreges penes peccatores animam meam & penes viros sanguinarios vitam meam:*

10 *Quorum in manibus scelus est, quorum dextra plena est corruptionis muneribus.*

11 *At ego in integritate mea ambulo. Redime me & gratiam fac mihi.*

12 *Pede meo consistente in plano, in congregationibus benedicam Iehoua.*

ANALYSIS PSAL. 26.

Subiectum huius Psalmi petitio est in hanc concepta sententiam:

Saluti & existimationi meæ consule ô Iehoua, aduersus improborum calumnias & tyrannidem. vers.1.9.11.

Petitur vers.1.vt in causa Prophetę ius dicat Iehoua. Prophetæ causa quænam fuerit, constat partim ex adhibita protestatione innocentiæ & integritatis, à principio versiculi primi ad nonum: partim ex eo quòd periculum vitæ deprecetur vers. 9. Salutem igitur Prophetæ & existimationē exquisitis calumnijs & contumelijs homines perditissimi oppugnabant. Iam in causa supplicis sic oppressi iniquissimis criminationibus vt de nomine & capite periclitetur, quale est ius illud quod à Iehoua iudice dici conuenit? certè illud, quo salus & existimatio supplicis contra hominum nequissimorum calumnias vindicetur. Si de hoc in ferenda sententia summus ille Iudex prouiderit, ius in causa litigantium præclarè dixisse videbitur.

Versu nono de tuenda Prophetæ salute agitur *Ne aggreges* (inquit) *penes peccatores & viros sanguinarios animā meam:* id est, ne patiare vitam meam eorum libidini & potestati condonari, qui eam extinctam esse cupiunt. Atque hoc est aggregari penes sanguinarios, tradi nimirum in manus & potestatem eorum, qui de sanguine & cæde cogitant.

Versu vndecimo repetitur instituta supplicatio, sed verbis paulo generalioribus. *Redime* (inquit) *me, & fac gratiam mihi:* id est, cum in discrimine verser salutis & famæ, prospice mihi de conseruatione vtriusque pro tua singulari misericordia.

Intelligimus iam quid Psalmo isto tractetur à Dauide. Incolumitati suæ aduersus impiorum conatus consultum esse

vult. Sed quo argumento suadet, quod à Iehoua tantopere contendit?

Sum (inquit) *innocentis integræq; vitæ : & confido te mecum ita benignè acturum vt non vacillem*, id est, *ab inimicorum meorum calumnijs & crudelitate vindicer.* vers. 1.

Itaque saluti & existimationi meæ consule ô Iehoua aduersus improborum calumnias & tyrannidem. vers. 1. 9. 11.

Antecedentis duo capita sunt: vnum de innocentia & integritate Prophetæ: de ipsius in Iehouam fiducia alterum.

De Prophetæ innocentia & integritate caput illud tractatur pluribus: nempe à versu primo ad nonum. Demonstrationem innocentiæ & integritatis suæ orditur è prouocatione facta ab iniquis hominum iudicijs ad Iehouæ iudicium & testimonium.

Si innocens (inquit) *integerq; non essem : te Iehoua, cui omnia mentis meæ cogitata sunt exploratissima, iudicem ac testem innocentiæ meæ non appellarem.*

At te Iehoua, cui omnia animi mei cogitata sunt exploratissima, iudicem testemq; appello innocentiæ & integritatis meæ. ver. 2. Vbi examen, cui se subjicit Propheta, examini quo in excutiendis & dijudicandis metallis vtuntur aurifices, comparatur. Renum nomine quicquid est in corde abstrusum & reconditum significari obscurum non est.

Itaque sum innocens & integer. ver. 1.

Persequitur innocentiæ & integritatis suæ demonstrationem Propheta, notata primùm efficiente causa vitæ innocenter actæ: deinde adhibita inductione partium.

Ab efficiente argumentatur in hunc modum:

Quantum bonitate excellas erga integræ vitæ homines semper mihi ob oculos proposui. ver. 3.

Ac proinde operam dedi vt me innocenter integreq; semper gererem. ver. 3. in fine. Vbi *ambulare in veritate Iehouæ*, idē est, quod in vitæ degendæ cursu verbi diuini præceptis obsequi. Satis liquet Iehouæ verbum nomine

veritatis appellari. Sermo meus (inquit Christus) veritas est. Qui igitur veritatis diuinæ legibus congruenter viuit, *is in veritate Iehouæ indesinenter ambulat.*

Versu quarto sequitur partium inductio ad concludendam Dauidis integritatem.

Præsto (inquit) *& officia iustitiæ erga homines & munera pietatis erga Deum.* ver. 4. 6. 7. 8.

Itaque vitam integrè & legi tuæ conuenienter dego. vers. 1. in med. & ver. 3 in fine.

Inductionis antecedente comprehensæ membrum prius de præstitis officijs iustitiæ erga homines, significatur synecdochicws Prophetæ effectis, viz:

1. *Declinatione societatis cum improbis tum in consilijs capiendis tum in suscipiendis actionibus.* ver. 4. Vbi vocabulo sedendi notatur societas in adhibitis deliberationibus: vocabulo autem conueniendi seu ingrediendi, societas in obeundis actionibus.

2. *Odio aduersus impiorum conuentus & habitorum conuentuum deliberationes suscepto.* ver. 5.

Duplici isto Prophetæ effecto notari è partis Synecdoche contendo præstita ab ipso officia iustitiæ erga homines. Nam in cuius mente tam atrc odium insedit improbitatis & nequitiæ, vt improborum cœtus, consilia & actiones auersetur & declinet: hunc studio duci necesse est id omne in vitæ degendæ ratione persequendi, quod iustum est & ad commoda humanæ societatis augenda pertinet.

Quinetiam duo illa effecti ita proponuntur à Dauide, vt ex altero tanquam causa concludatur alterum. Nam si maleficorum cœtum oderit, sequetur nullam ipsi communionem intercedere cum improbis in deliberationibus habendis aut in rei deliberatæ executione. At profitetur Dauid odisse se improborum cœtus. Ac proinde ab ineunda cum maleficis societate siue consiliorum siue actionum, alienissimum esse necesse est. Huiusmodi conclusione vti Prophetã, non inscitè conjicitur è versiculo quinto: vbi, quod præcedenti versu proponebatur de fugienda societate improborũ repetitur tanquam conclusum ex eo, quòd cœtum malignorum odio prosequatur.

Porro

Porro quemadmodum homines nefarij & perditi à Dauide describuntur, non alienum fuerit animaduertere. Dicuntur vani & occulti seu dissimulati. Vani, partim, quod metu diuini numinis vacui sint, partim quod res vanas consectentur & in earum adeptione applaudant ipsi sibi & stultissime glorientur. Occulti seu dissimulati vocantur: quia naturæ affectus & sensa mentis suæ multis simulationum inuolucris tegunt & quasi velis quibusdam obtendunt, adeo vt ad fraudes & versutias quodammodo facti videantur. Aliud igitur animo & cogitatione machinantur: aliud fronte & oratione profitentur.

Inductionis membrum posterius de obeundis muneribus pietatis erga Iehouam, (synecdochicè significatur & exponitur è duplici effecto Prophetæ, viz:

1. *Quod ad diuini cultus officia præstanda accedat*. ver. 6. Vbi sub actione circumeundi altare Iehouæ, actiones omnes, quibus reliquæ partes diuini cultus obeuntur, comprehendi à Dauide & per Synecdochen significari credibile est.

2. *Quod omnes diuini cultus partes amplectatur & diligat*. ver. 8. Vbi vocabulo tabernaculi seu sanctuarij, per subiecti metonymiam id omne intelligitur, quod ad nominis diuini cultum in tabernaculo peragitur. Tabernaculum appellatur Domus Iehouæ & Domicilium gloriæ diuinæ: propterea quod in eo Iehoua se inter Cherubinos insidens summa maiestate exhiberet, & quotidie coleretur.

Prior illa Prophetæ actio de circumeundo altare habet amplificationem partim ab adiuncta modi circumstantia quo perficitur, partim à fine.

Adiuncta circumstantia modi in sacrificiorum oblatione adhibiti notatur in principio versiculi sexti. *Lauo* (inquit) *in innocentia manus meas*: id est, cum sacrificiorum oblationibus & solenni ritu defungor, id præsto è corde puro, non simulato, vt ij qui lotis pro ceremonia instituta manibus, illotis animis, sorditatis affectibus, nullo sensu peccatorum frequentant & ingrediuntur sanctuarium Iehouæ. Legali

illa ablutione, ad quam hos versu alluditur, admonebatur populus de puritate mentis & sordibus peccati detergendis priusquam ad publica exercitia pietatis accederent.

Amplificatio á fine cultus in sanctuario præstiti continetur ver.7. Is autem est vt agnitis & commemoratis Iehouæ beneficijs, ipsius nomen celebretur, nomen inquam bonitatis, potentiæ ac sapientiæ. *Beneficia* Iehouæ collata in Ecclesiam appellantur *Mirabilia*, eò quòd non ad normam & consilia humanæ rationis in procuranda salute Ecclesiæ suæ se gerat.

Posterior illa Dauidis actio de singulis diuiní cultus partibus amplexandis & diligendis sic explicari potest, vt intelligamus versu octauo argumentum contineri, quo inductus Propheta ad Iehouam in sanctuario colendum accessit.

Diligo(inquit) *quicquid ad nominis tui cultum in sanctuario peragitur*. ver. 8.

Ac proindè altare tuum perlibenter circumeo: id est, cultum lege præscriptum tibi offero. ver. 6. Circumire altare licebat populo, non autem attingere, immo ne ijs quidem è tribu Leuitarum, in quibus inerat labes aliqua aut deformitas.

Adhuc fuit partium inductio versibus quinis exposita ad quæstionem illam de Prophetæ vita innocenter acta concludendam.

Sequitur ver. 9. Psalmi totius princeps quæstio, vt supra obseruatum est, sed exornata eleganti descriptione improborum. Descriptio eiusmodi est:

1. *Sunt peccatores*: id est, qui violandæ pietatis & iustitiæ quasi artem quandam factitant & profitentur.
2. *Sunt viri sanguinum*: id est, nullum crudelitatis genus omittunt.
3. *In ipsorum manibus est scelus*: id est, ita sunt instructi ab omni instrumento & facultate perpretrandi sceleris, vt nihil ipsis ad præsentem executionem desit.
4. *Eorum dextra est plena muneribus corruptionis*: id est, adeo insigni cupiditate rapiuntur augendi res suas, vt nulla æquitatis ratione habita ius omne prostituant & ini-

quissimis

quissimis nundinationibus exponant. ver. 10.

Atque hæc est ab effectis & adiunctis descriptio improborum: quæ tractata sic est, vt pro dissimilitudinis argumento allata videatur ad illustrandum quod de integritate sua commemorat Propheta. Quod si in hanc sententiam descriptionem institutam interpretemur: tum dissimilitudinis redditionem priori versus vndecimi clausula contineri dicendum est. Illud certè constat repeti ver. 11. principem Psalmi thesin vnà cum argumento illo vitæ à Propheta integrè & innocenter actæ, explicato à Dauide versiculis pluribus.

Hactenus ad impetrandam gratiam aduersus improborum calumnias & tyrannidem peroratum est à Dauide de vitæ suæ integritate.

Superest versu postremo non exigui ponderis argumentum, quo persuadere vult Iehouæ Propheta de concedenda gratia expetitæ salutis & liberationis. Argumentum est ab effecto Dauidis. Pede meo (inquit) *consistente in plano, benedicam Iehouæ in congregationibus.* Hisce verbis profitetur Dauid, fore vt Iehouæ gratia & ope ab hostium calumnijs & tyrannide vindicatus, nomine tam excellentis beneficij omni studio incumbat ad celebrandam bonitatem Iehouæ, non modo priuatim sed etiam in publicis conuentibus. Sic igitur institutæ petitionis suasionem vrget:

Liberatus per te Iehoua ex hijs angustijs, in quibus versor, & pristinæ incolumitati restitutus, celebrabo bonitatis & potentiæ tuæ gloriam non modò priuatim sed in publicis etiam conuentibus. ver. 12. Vbi quod *de pede suo consistente in plano* loquitur Propheta, intelligere conuenit de recuperata incolumitate pristina & restitutione in integrum.

Itaque redime me & gratiam fac mihi. ver. 11. id est, libera me ab improborum calumnijs & tyrannide.

PSAL.

PSAL. XXVII.

1 *ODe Dauidis. Iehoua lux mea & salus mea*
est, à quo timerem? Iehoua robur vitæ meæ
est, à quo expauescerem?
2 *Cum malefici, hostes mei & inimici mei ap-*
propinquarent aduersus me ad exedendum carnem
meam: ipsi corruebant & concidebant.
3 *Si metarentur contra me castra non timeret*
animus meus: si insurgeret contra me bellum, in hoc
confiderem.
4 *Vnum petij à Iehoua: idipsum requiro, vt ha-*
bitem in domo Iehouæ omnes dies vitæ meæ, ad vi-
dendum amœnitatem Iehouæ, & visitandum tem-
plum eius.
5 *Nam abscondit me in tabernaculo suo tempo-*
re aduersitatis: abdit me in abdito tentorij sui: in
rupem attollit me.
6 *Iam verò extollitur caput meum supra inimi-*
cos meos, circumstantes me. Sacrificabo in tentorio
eius sacrificia clangoris. Canam & psallam Iehouæ.
7 *Audi Iehoua me voce mea clamantem: gra-*
tiamq́; fac mihi & exaudi me.
8 *Dicit mihi cor meum à te: Requirite faciem*
meam. Faciem tuam Iehoua requiro.
9 *Ne abscondas faciem tuam à me: ne auertas*
in ira seruum tuum. Auxilium meum fuisti; ne de-
seras me, neque derelinquas me, ô Deus salutis meæ.

10 *Nam*

10 *Nam pater & mater derelinquunt me. Itaque Iehoua recipiat me.*

11 *Doce me Iehoua viam tuam, & deduc me per semitam planam: propter obseruantes me.*

12 *Ne tradas me desiderio hostium meorum. Nam surrexerunt contra me testes mendaces, & qui spirant violentiam.*

13 *Nisi credidissem me fruiturum bonitate Iehouæ in terra viuentium, actum fuisset de me.*

14 *Expecta Iehouam: confirmare: & fortificabit animum tuum: itaque expecta Iehouam.*

ANALYSIS PSAL. 27.

Thesis hoc Psalmo explicato partim supplicatione continetur, partim cohortatione. Supplicatio tractatur à principio Psalmi ad versum decimumtertium: & est huiusmodi:

Libera me ô Iehoua ab inimicis meis. vers.7.9.11.12.

Recténe petitio ista versiculis illis comprehendi dicatur, si placet videamus. *Audi me* (inquit vers. 7.) *clamantem ad te, & gratiam fac mihi.* Vt priori membro, quo audiri se cupit supplicantem de liberatione & salute consequenda, è Metonymia effecti destinati ipsum finẽ intelligit (est enim oblatæ petitionis exauditio medium destinatũ: salus & ab hostibus liberatio finis) sic inciso posteriori, quo sibi gratiam concedi postulat, è Synecdoche generis gratiam notat ereptæ è periculis personæ suæ & incolumitatis recuperatæ.

Vers.9. *Ne abscondas* (inquit) *faciem tuam à me: ne me abijcias & deseras.* Deprecatio ista desertionis quid aliud vult, quàm vt Iehoua Dauidem prosequens studio pristinæ voluntatis & misericordiæ, prospiciat ipsi de liberatione è periculis? Versiculi noni interpres optimus est versus duodecimus: in quo petitur ne hostium libidini & tyrannidi condonetur: id est, ab angustijs in quibus versatur, & inimicorum crudelitate liberetur. Non deseri igitur à Iehoua, idem est quod non objici hostibus, sed ex eorum potestate eripi.

Sic

Sic versu vndecimo dum viam Iehouæ doceri & per semitam planam deduci vult: annon de via loquitur, qua ad salutem & liberationem itur? Perinde est ac si diceret: *Consistis iam ô Domine in ea, quæ ad interitum ducit via: versor in ea semita, quam hostes mei multiplicibus præcipitijs & insidijs valde periculosam reddiderunt. Ac proinde peto abs te vt subtractum me è via qua itur ad exitium, transferas in viam tuam, eam nempè qua hostium insidiæ declinantur & ad fœlicem liberationis exitum peruenitur.* Doceri igitur viam Iehouæ, idem est quod actu statui à Iehoua & collocari in via liberationis ac salutis, vitatis scilicet quæ intendebantur periculis: quemadmodum vers. 11. Propheta interpretatur ipse. *Deduc* (inquit) *me in semitam planam*: id est, eripe me è semita qua ad certam perniciem inceditur, & transfer in eam quæ libera est ab ab omni hostium impetu & expeditissima ad salutem,

Ex hijs quæ dicta sunt, facilè constare posse opinor, supplicationem Prophetæ versiculis illis quatuor, nempe v. 7. 9. 11. 12. propositam esse ac comprehensam.

Attendamus iam quibus argumentis institutæ petitionis suasionem persequatur. Argumenta affert sextuplicia, eáque illustria, & ad persuadendum valdè accommodata. Primum insigni quadam professione continetur fiduciæ in Iehouam suæ, tractatum copiosè sex primis versibus, & conclusum sic:

Arg. 1. *Qui bonitate & ope tua confidentissimè nititur, eum par est vt tu Iehoua ab inimicis liberes.*

At ego is sum qui bonitate & ope tua confidentissimè nitor, vers. 1.

Itaque ego is sum, quem par est vt tu Iehoua ab inimicis liberes ver. 7. 9. 11. 12.

Assumptio versu primo exhibetur sub duplicis interrogationis formula. *A quo* (inquit) *timerem? à quo expauescerem?* Ac si diceret: Non me aut hominum singularis potentia, aut aliud quiduis vtcunque formidabile & minitabundum terret: sed posito omni metu, in Iehouæ bonitate & auxilio securè acquiesco.

Assum-

Assumptioni subijcitur illustratio multiplex: nimirum
1. *A notata causa suæ in Iehouam tam admirabilis fiduciæ.*
2. *A comparatione Maiorum.*
3. *A refutatione exceptionis quæ proponi ad eludendam Assumptionem potuit.*

E notatione causæ, qua adductus est Propheta, vt Iehouę bonitate & auxilio tantopere nitatur, in hunc modum disserit:

Iehoua semper antehac pro singulari misericordia mihi liberator & propugnator extitit. verſ. 1. *Iehoua* (inquit) *est lux mea & robor vitæ meæ.* Vt vocabulo tenebrarum notatur aduersa & afflicta conditio: sic voce lucis significatur liberatio è misera & luctuosa conditione. Hinc est quòd Iehouam sibi lucem extitisse glorietur. Ac quia Iehouæ admirabilem vim & potentiam sæpius expertus est in propugnatione salutis suæ, idcirco ait eum robur vitæ suæ esse.

Itaque bonitate & ope tua confidentissimè nitor. ver. 1.

Enthymematis pars antecedens, qua diuinæ erga se opis & gratiæ, cum afflictissimis temporibus vteretur, obseruationem & experientiam complexus est, illustratur speciali instantia seu exemplo. Instantia eiusmodi est:

Etiam tum liberauit me Iehoua & incolumem præstitit, cum irruentibus in me incredibili impetu maleficis, de salute mea penè actum esset. ver. 2.

Iehoua igitur antehac pro singulari misericordia mihi liberator & propugnator extitit. ver. 1.

Comparatio à Maiori, quæ ad Assumptionis exornationem allata est, proponitur ver. 3. in hunc modum:

Si magnæ hostium copiæ aduersum me in acie consisterent & de me perdendo consilium inirent: nihil tamen mihi, quam in Iehouæ bonitate & ope colloco, fiduciam excuteret. ver. 3. *In hoc* (inquit Dauid) *confiderem*, id est, in Iehouæ potentia & paratissima ad mihi succurrendum voluntate: quam modò prædicaui, cum dicerem Iehouam fuisse mihi *lucem & robur vitæ.*

Multo igitur minus in minore periculo constitutus patiar detrahi

trahi quid de mea in Iehouam fiducia.

Sequitur postrema Assumptionis illustratio è refutata exceptione: in qua duo spectanda occurrunt: viz:

1. *Quid illud sit, quod ad Assumptionem conuellendam objicitur.*
2. *Quemadmodum propositæ obiectioni respondeatur.*

Exceptio non est disertis verbis expressa: sed è subiecta responsione facile intelligitur. Est vero huiusmodi

Except. *Si, vtcunque à Iehoua è singulari in ipsum fiducia vehementer cõtenderis vt ad sanctuarium reducare, nihilominus exules adhuc à sanctuario: tum frustra in Iehouam collocari fiduciam tuam fateare necesse est.*

At, vtcunque à Iehoua è singulari in ipsum fiducia contenderis vt sanctuarij excellenti prærogatiua & oportunitate fruare, nihilominus exulas adhuc à sanctuario.

Itaque frustra in Iehouam collocari fiduciam tuam fateare necesse est.

Respondet Dauid propositæ exceptionis syllogismo: sed Assumptioni primùm: deinde propositioni.

Quod ad Assumptionem attinet, duo sunt quæ agnoscit Propheta.

1. *Supplicasse se Iehouæ vt ad sanctuarium rediret.*
2. *Disiungi iam & exulare se à sanctuario*

Supplicatio Prophetæ de reditu ad sanctuarium illustratur.

1. *Comparatione similium.* ver. 4. in principio. Quemadmodum (inquit) antehac id vnum à Domino petij, nempe vt per omnem vitam excellentibus sanctuarij prærogatiuis mihi perfrui liceat: sic hoc tempore vt idipsum concedatur magnopere contendo.
2. *Expositione finis cuius gratia instituitur supplicatio.* Finis eiusmodi est: vt liber scilicet ab omni necessitate diutius peregrinandi & quaquauersus discurrendi, iam tandẽ possit nactus quantum satis est otij attendere sanctuario & referre se ad obeunda munera diuini cultus. Eò igitur spectat Prophetæ supplicatio vt sanctuarium inuisere & Iehouæ decorum ac pulchritudinẽ intueri queat.

queat. Iehouæ excellentem decorem & splendorem maiestatis tum intuemur, cùm in verbi diuini lectione & prædicatione, in sacrificijs legis, in Euangelij sacramentis Iehouæ admirabilem potentiam, sapientiam, bonitatem & iustitiam conspicimus & obseruamus.

Relegatio seu separatio a sanctuario, quam contigisse sibi agnoscit Propheta, vt populo Israelico minimè obscura fuit: sic est notata disertè ijs verbis quarti versiculi: *idipsum requiro.* Postulat à Iehoua Dauid vt ad sanctuarium reducatur. Relegatum igitur fuisse constat à sanctuario.

De assumptione allatæ exceptionis adhuc egit Propheta. Propositioni respondetur ver. 5. & 6. propositio seu propositionis consequentia à Dauide negatur. Negatio consequentiæ non est illa quidem disertis verbis explicata: sed ex ijs, quæ vers. 5 & 6. ad diluendam exceptionē proponuntur, facile intelligitur. Est autem in hanc sententiam informata.

Vtcunque disiungor adhuc & relegatus maneam à sanctuario Iehouæ: non ideo tamen sequitur inanem esse in Dominum fiduciam meam.

Propositionis inconsequentiam sic demonstratam reperiemus.

Iehoua mihi: siquando in periculis versarer, vindex semper & propugnator extitit: communico vnà cum alijs in cultu diuino, si non personaliter, at fide & cordis affectu: & tandem actu ipso ac personaliter in eo communicaturus sum.

Itaque vtcunque corpore disiungor à sanctuario, non ideo tamen inanis est in Iehouam fiducia mea.

Antecedens pars enthymematis constat tribus membris.

Primum est vers. 5. comprehensum: vbi refert quantæ curæ salus sua Iehouæ sit: vt qui ipsum tempore imminentis periculi in locum certissimi perfugij recipiat: id quod duplicis similitudinis comparatione ostendit. Nam præstiti à Iehoua auxilij actionem comparat partim cum occultatione sui facta in adyto tabernaculi & quasi sub expansis Cherubinorum alis, partim cum exaltatione sui in rupem aliquam ab hostili impetu & expugnatione tutissimam.

Secundum de Prophetæ communicatione in solenni illo

Iehouæ cultu, quæ fide & cordis affectu præstatur, continetur priori parte versiculi sexti: vbi, dum non obstante relegatione à sanctuario caput suum supra inimicos extolli prædicat, apertè testatur interesse se si non corpore at cordis affectu & fide obitis in sanctuario cultus diuini muneribus, vtcunque septum multitudine hostium & interclusum. Sic enim interpretor adhibitam à Propheta capitis sui supra hostes euecti prædicationem. Nam quamdiu relegatus à sanctuario & inimicorum copijs obsessus existeret, quæ tandem alia supra hostes exaltatio ei obuenire potuit, præter eam quæ fide & cordis affectu præstatur?

Tertium illud de sua deinceps actu futura communicatione in officijs diuini cultus, quibus Dei populus in sanctuario defungitur, posteriore inciso sexti versus includitur. *Sacrificabo* (inquit) *in tentorio eius sacrificia clangoris, &c*, id est, vtcunque iam omni ad tabernaculum aditu prohibear, nihilominus tandem quantumuis fremant & tumultuentur inimici mei, ad sanctuarium reuersurus sum, & in eo Iehouæ nomen cum reliquo cœtu piorũ celebraturus.

Adhuc insignis illa repositæ in Iehouam fiduciæ professio, quam adhibuit Propheta ad institutæ petitionis commendandam suasionem, tractata est. Sequitur secundum argumentum tali conclusum enthymemate:

Arg. 2. *Imploro opem tuam Iehoua aduersus inimicos meos, morem in eo gerens mandato tuo.* vers. 8. In priori parte huius versiculi proponitur mandatum de requirenda facie Iehouæ, id est, de ipsius ope imploranda si quando affligamur. In posteriore autem, Prophetæ obedientia mandato huic præstita subijcitur. Vt verò constet præcepisse Iehouam de requirenda facie sua, affert Dauid ad rei tantæ confirmationem testimonium non vulgare, testimonium scilicet cordis sui à Spiritu sancto informati. ver. 8. in in principio.

Itaque exaudi me supplicantem tibi de liberatione ab inimicis. ver. 7.

Sed pergit Propheta & à comparatione parium exhibiti postulati concessionem vrget.

Arg.

Arg. 3. *Antehac* (inquit) *me ab inimicis meis liberasti*. ver. 9. in medio.

Quapropter Iehoua, etiam iam libera me ab eisdem. vers. 9. Vbi ter quaterve Liberationis petitio repetitur.

Versu decimo à personæ suæ adiunctis persuadere Domino conatur de salute & incolumitate largienda.

Arg. 4. *Sum* (inquit) *si homines intuear, destitutus omni ope & subsidio*. vers. 10. Vbi se à parentibus derelictum conqueritur, id est, per synecdochen speciei, ab ijs omnibus qui opem ferre possunt: subest verò argumentatio à comparatis in hanc sententiam: *Deseror* (inquit) *à parentibus meis: Non mirum igitur si cæterorum hominum ope & auxilio destituar*. In hunc sensum si Dauidem de orbitate & destitutione sua conquerentem interpretamur: dicendum est comparationis propositionem redditionis loco substitutam esse: id quod non infrequenter in disserendo vsu venit.

Succurre itaque mihi Iehoua aduersus inimicos meos. ver. 10 in fine, Vbi *petit vt recipiatur à Iehoua*, id est, eripiatur ab iminentibus periculis ac tutus præstetur.

Quintum suasionis argumentum comprehenditur vers. 11. ductum à contemplatione euentus, qui ex obseruata agendi ratione existet quam in ijs quæ Dauidem spectant sequitur Iehoua. Obseruatum est cum à pijs tum ab impijs quemadmodum cum Dauide ageretur. Illis, si diutius affligeretur Propheta, accideret id quidem longè grauissimum: hijs verò longè gratissimum. Hinc est quòd in hanc sententiam disserat apud Iehouam:

Ar. 5 *Si mihi nõ subueneris, sed me in hisce tantis angustijs diutius hærere patiaris expositum immanitati & libidini nefariorum hominum: pij eo obseruato summum dolorem, impij summam lætitiam percepturi sunt*. vers. 11. in fine. *Propter eos* (inquit) *qui me obseruant*. Quod non minus de pijs quàm de impijs exponendum esse iudico.

Itaque deduc me in viam, qua ad salutem & liberationem è periculis itur, vt me liberato omnis ansa præcidatur &

pijs dolendi & impijs insolenter triumphandi. vers. 11. in principio.

Superest exhibitæ petitionis argumentum sextum. Eo finis ille notatur, quem homines scelerati in persequendo Dauide sibi proposuerunt. A fine argumentatio hæc est:

Arg. 6. *Inimici mei id vnum spectant vt mihi & existimationem nominis mei & vitam eripiant.* ver. 12. in fine. Vbi distinctis in duo genera hostibus suis, in calumniatores nimirum & homicidas, ex eo intelligi vult propositũ ijs esse, vt ipsum dignitate nominis & vitæ beneficio priuent.

Quapropter succurre mihi Iehoua aduersus hostium meorum insignem malitiam & tyrannidem. vers. 12. in principio.

Hactenus exposita est Prophetæ supplicatio. Restat cohortatio, qua ipse se reuocat à diffidentia & ad reponendum in Iehouam spem omnem ac fiduciam inuitat. Cohortatio est conclusa primò sic:

Si spes illa, quam animo certissimam concepi, fruendi scilicet ante obitum promissa mihi à Domino benedictione, fecit quo minus adhuc languore & morte conficerer: tum expecta Iehouam ô anima mea, & seposito omni metu in ipsius bonitate ac misericordia confidenter acquiesce.

At spes illa fruendi ante obitum promissa mihi à Domino benedictione, fecit quo minus adhuc languore & morte conficerer. ver. 13.

Itaque alacriter Iehouam attende ô anima mea & seposito metu in ipsum confidentissimè recumbe. v. 14. Vbi conclusio ista ter quaterve est iterata, vt ostendat nihil habere se antiquius, quàm vt fide ac spe diuinæ bonitatis aduersus omnes tentationum impetus muniatur.

Assumptionis clausulam illam, quæ est de benedictione promissa, interpretor non modo de liberatione è periculis, sed etiam de successore in regiam dignitatem, quem Dauidi daturum se Iehoua promisit, è Dauidis nempe sanguine generatum. Atque hæc est illa admirabilis Iehouæ bonitas, qua se fruiturum credidit Propheta *in terra viuentium*, id est, priusquam ex hac præsenti vita migraret.

Cohor-

Cohortationis argumentum alterum extremo Psalmi verficulo includitur. Conclusio est in hunc modum:

Tibi de gratia & consolatione affatim prouidebitur, si collocata in Iehouam spe omni & fiducia ipsum patienter attenderis. ver. 14. in medio. *Fortificabit* (inquit) *animum tuum*: id est, animo tuo quicquid opus est gratiæ & consolationis abunde subministrabit.

Itaque expecta Iehouam ô anima mea, & in ipsum abiecto metu confidenter recumbe. ver. 14.

PSAL. XXVIII.

1 *ODe Dauidis. Te Iehoua inclamo: rupes mea; ne surdum agas auersus à me: ne si mutus eris & auersus à me, consimilis fiam descendentibus in sepulchrum.*

2 *Audi vocem deprecationum mearum, dum vociferor ad te, dum attollo manus meas ad adytum Sanctitatis tuæ.*

3 *Ne trahas me penes improbos & penes operarios iniquitatis: qui loquuntur pacem cum proximis suis, malitia obtinente in animo eorum.*

4 *Da istis secundùm opus ipsorum, & secundùm malignitatem actionum ipsorum: secundùm opus manuum ipsorum da eis: redde retributionem suam eis.*

5 *Quia non animaduertunt ad opera Iehouæ, & ad factum manuum eius. Destruat eos, nec ædificet eos,*

6 *Benedictus sit Iehoua: quia exaudiuit vocem deprecationum mearum:*

7 *Iehoua robur meum & scutum meum. Cui confidente animo meo adiuuor. Idcirco exultat animus meus, vt cantico meo celebrem eum.*

8 *Iehoua est robur illis: & est robur liberationum Vncti sui.*

9 *Serua populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: pasce eos & extolle eos vsque in seculum.*

ANALYSIS PSAL. 28.

Partes Psalmi duæ sunt: in altera refert Dauid precationem, qua vsus est, cum grauissimis calamitatibus affligeretur: in altera, precationis suæ euentum commemorat. Precatio est ab initio versiculi primi ad sextum. Euentus precationis reliqua Psalmi parte comprehenditur.

Precationis capita duo sunt: vnum generale de exauditione institutæ orationis: alterum speciale de salute sua & exitio aduersariorum.

Petitio exauditionis duobus primis versibus explicatur. Exauditionis quæstio eiusmodi est:

Exaudi Iehoua petitionem meam: id est, *Concede mihi quæ à te petiturus sum.* vers. 1. in medio, & vers. 2.

Exauditionis quæstio est primo versu & secundo proposita breuiter. *Ne surdum* (inquit) *agas auersus à me*: id est, ne patiare me tibi frustra supplicem esse, sed assentire mihi de ijs quæ postulaturus sum. Apud surdos frustra causam dicimus: eisdem incassum supplicatur. Surdis verò non dissimiles sunt, si petitionis euentum spectes, qui vel oblatæ supplicationi refragantur, vel ad eandem concedendam tardissimè accedunt. Non vult igitur Propheta, dum ipse supplicis officio studiosissimè & demisissimè fungitur, vt Iehoua interim surdi partes agat.

Sed quo argumento suadet, vt à Iehoua exaudiatur? Video argumentum duplex adhiberi. Prius est ab effecto Prophetæ, conclusum ita:

Ad te Iehoua confugio: te vnum inclamo: tuam solius opem imploro.

imploro, verſ. 1. in principio, & verſ. 2. in medio & fine. Iteratio argumenti & eiuſdem exprimendi modus per phraſin clamandi & manus attollendi ad ſacrarium Sanctitatis, ardorem precandi, & periculi imminentis grauitatem notat. Dum ait ſe manus attollere ad adytum Sanctitatis Iehouæ, è Metonymia ſigni indicat precari ſe, & precationem in cœlum dirigere. Vt manuum ſublatione ſignificatur precandi actio: ſic adyto ſeu ſacrario tabernaculi, domicilium cœli, vbi ſe Iehoua gloriæ & maieſtatis ſplendore infinitum exhibet.

Itaque exaudi precationem qua apud te pro ſalute mea & excidio perditiſſimorum hominum vſurus ſum. verſ. 1. & 2.

Antecedenti enthymematis illuſtratio attexitur ab efficiente cauſa: ea autem fuit obſeruatio paratiſſimæ in Iehoua voluntatis ad propugnandam ſalutem Dauidis.

Tu (inquit) *antehac incolumem me & tutum præſtitiſti aduerſus omnes impetus hoſtium meorum*. verſ. 1. *Te inclamo* (inquit) *qui es rupes mea*. Rupes, in quibus arces extruuntur (id quod olim fiebat defenſionis cauſa) præſtant ſingulare perfugium ijs, qui ad eas ſe recipiunt. Huiuſmodi rupibus comparatur Iehoua.

Ac proinde ad te Iehoua confugio: tuam opem imploro. ver. 1. & 2.

Exauditionis argumentum poſterius eſt ab euentu reiectæ petitionis:

Niſi valere apud te ſupplicationem meam patiare, interire me neceſſe eſt. ver. 1. in fine. Similis ero deſcendentibus in ſepulchrum. Periphraſis eſt hominum mortuorum: qua ſignificare vult Propheta, illico actum iri de ſe, ſi oblatam petitionem aſpernetur Iehoua.

Quapropter pro infinita miſericordia, aſſentire mihi Iehoua de ſupplicatione mea, ver. 1. 2.

Petitio exauditionis, quam reliquæ ſupplicationi præmiſit Dauid, expoſita eſt. Sequitur poſtulatum ſpeciale exhibitum à Dauide pro ſalute ſua & exitio improborum.

Postulatum istud est axiomate discreto comprehensum versu 3. & 4.

Ne tradas me (inquit) *in potestatem hostium meorum: sed ipsos pro iusto iudicio tuo dele prorsus & excidito.*

Prius membrum petitionis continetur versiculo tertio: vbi petit David *ne trahatur penes improbos & operarios iniquitatis:* id est, ne permittatur ipsorum libidini & tyrannidi. Posterius versu quarto sub varijs loquendi formulis propositum, iteratur versu quinto verbis disertissimis. Vult Propheta vt hostes sui, homines scilicet è scelere & nequitia conflati, pro ratione & merito flagitiorum plectantur: vult destrui ipsos à Iehoua & nunquam extrui: id est, ea seueritate pœnæ in eos animaduerti, vt nec in sua, nec in posterorum persona pristinum dignitatis statum recuperare queant.

Sed quomodo tractetur proposita petitio videamus. Priori petitionis membro subjicitur exornatio à definitione hostium, in quorum potestatem tradi non vult Propheta. Quales ergo sunt hostes Dauidis? Non ij certè quorum est aperta & in omnium oculis constituta nequitia, sed qui amicitiæ, virtutis & religionis simulatione incautos circumueniunt & opprimunt. Quo quid detestabilius fingi potest?

Posterius supplicationis membrum de excidio improborum, suadetur commemoratis ipsorum effectis:

Admirabilia (inquit) *diuinæ prouidentiæ opera, tum generalia in administratione totius humani generis, tum particulare illud quo vnctus in regem Israelis & consecratus sum, prorsus despiciunt hostes mei & proculcant.* v. 5. Vbi per opera Iehouæ intelligi volunt interpretes generalia diuinæ administrationis effecta, siue ea sint documenta iustitiæ, siue misericordiæ erga humanum genus. Clausulam illam de facto manuum Iehouæ exponunt de conferenda in Dauidem dignitate regia.

Quapropter hostes meos pro iusto iudicio tuo dele prorsus & excidito. ver. 4. & 5.

Explicata

Explicata iam precatione Dauidis, precationis euentum videamus. Is autem fuit exhibitæ precationis exauditio seu concessio. ver. 6. vbi exauditum se esse prædicat.

Sed ecce: exauditio ista peperit in Dauide duo peregregia effecta. Nam tanti beneficij contemplatione admonitus retulit se & ad celebrandum Iehouæ nomen & ad testandum studium voluntatis suæ erga Iehouæ populum.

Laudatio diuini nominis, quam instituit hoc loco Propheta, tractatur primò ab efficiente, deinde è subiecto. Ab efficiente laudationis in hunc modum concluditur:

Exaudiuit Iehoua vocem deprecationum mearum. ver. 6.

Itaque benedictus sit Iehoua. vers. 6. *Itaque exultat animus meus vt celebrem Iehouam cantico meo.* ver. 7. Vbi principalis efficiens vnà cum propositæ laudationis instrumento notatur. Nam ab animo tanquam à principali efficiente proficiscitur laudatio: ab ore verò canticum edente, tanquam ab instrumento. Canticum è metonymia effecti interpretor pro ore & lingua proferente canticum.

Laudationis subiectum est canticum illud seu enthymema, quod versu septimo proponitur: cuius antecedente comprehenduntur causæ, quæ Dauidem ad prædicandum Iehouæ nomen impulerunt.

Iehoua (inquit) *est robur meum & scutum meum*, vers. 7. in principio. Iehouam hoc versu appellat *robur suum* Propheta, eò quod instructus diuinitus incredibili robore animi non succubuerit ærumnis victus earum magnitudine, sed eisdem exantlandis par fuerit. Atque hæc est illa animi constantia & patientia, qua munitus Dauid se inuictum à calamitatibus præstitit. Quod verò Iehouam scuto comparet, in eo eleganti similitudine vtitur. Nam vt scuto tegitur corpus ne telis hostium perimatur: sic Iehouæ potentia & bonitate tectus est Dauid aduersus omnes hominum perditorum impetus & insidias.

Itaque exultat animus meus vt celebrem Iehouam cantico meo. ver. 7. in fine.

Pars antecedens enthymematis est illustrata variè. Primò notatur causa, quæ Iehouam impulit ad succurrendum Prophetæ versanti in periculis. Ea autem fuit Prophetæ in Iehouam fiducia. *In ipsum* (inquit ver. 7.) *confidente animo meo adiutus sum*. Videmus concludi rem enthymemate. Nam perinde est ac si inuoluti syllogismi partes distinxisset apertius, sic nempe: *Confugi ad Iehouam cum periclitarer de vita, & in eo spem omnem reposui salutis meæ. Itaque subuenit mihi Iehoua, meq́; tanquam scuto tectum potentiæ suæ è periculis vindicauit.*

Sed antecedentis illustratio est non solùm è causa, sed etiam è duplici comparatione Maiorum. ver. 8. *Iehoua* (inquit) *est robur illis*: id est, non modò mihi opem tulit, sed ijs etiam qui meas partes secuti, in eodem quo ego, discrimine versabantur. Præterea, *Iehoua est robur liberationum Vncti sui*: id est, me quem à Samuele vnctum reipublicæ Israeliticæ præfecit non solùm ex isto, quo dudum expositus sum, periculo eripuit, sed in quascunque antehac ærumnas & calamitates inciderim, ex eisdem liberauit. Est (inquam) Iehoua omnium, quæ mihi vnquam obtigerunt, liberationum author & princeps.

Exauditionis effectum primum adhuc fuit, *Laudatio nimirum diuini nominis*. Restat secundum, testificatio scilicet, qua vsus est Propheta, studij & voluntatis suæ erga Iehouæ populum.

Testificatio ista perficitur oblata supplicatione pro salute Ecclesiæ totius vers. 9.

Supplicationis capita quatuor sunt:

1. *Vt in hac tanta rerum perturbatione conseruetur Ecclesia, non autem hominum potentum factionibus conuulsa dissipetur*. ver. 9. in principio.
2. *Vt vi benedictionis diuinæ numero & viribus augeatur*. ver. 9. in medio. Vbi Ecclesia nominatur hæreditas seu possessio Iehouæ: eò quòd eam Deus pater quasi emptam sanguine filij sui ipse sibi acquisierit & perpetuo excolendam curet.
3. *Vt cum Regi Sauli proposita sit non Ecclesiæ salus sed inua-*

letudo, Iehoua prouideat de Ecclesia curanda & pascenda vel ratione quadam extraordinaria vel per eum quem ad Sauli in regia administratione & dignitate succedendum vnxit & designauit.ver.9.in medio.

4. *Vt populi Israelitici nomen illustre reddat apud omnes gentes, easq; cogat cognoscere, Beatum esse populum, cui Iehoua est Deus*. Atque hæc est expedita admodum & insignis ratio extollendi populum vsque in seculum. ver.9.in fine.

PSAL. XXIX.

1 *PSalmus Dauidis. Cedite Iehouæ filij fortiū, cedite Iehouæ gloriam & laudem.*

2 *Cedite Iehouæ gloriam nominis eius, incuruate vos honorem exhibentes Iehouæ in decoro Sanctitatis.*

3 *Vox Iehouæ supra aquas, vox Dei fortis gloriosi intonat, vox Iehouæ supra aquas multas:*

4 *Vox Iehouæ potenter, vox Iehouæ magnificè.*

5 *Vox Iehouæ confringit cedros, perfringit etiam cedros Libani:*

6 *Et facit vt exiliant sicut vitulus, Libanus & Schirion, vt pullus vnicornium.*

7 *Vox Iehouæ cædit flammas ignis.*

8 *Vox Iehouæ dolore afficit desertum, dolore afficit Iehoua desertum Kadeschi.*

9 *Vox Iehouæ facit vt pariant ceruæ, & denudat syluas. Verùm in templo suo eloquitur totam gloriam suam.*

10 *Ie-*

10 *Iehoua in diluuio sedet: & sedet Iehoua Rex in seculum.*

11 *Iehoua robur populo suo dat: Iehoua benedicit populo suo cum pace.*

ANALYSIS PSAL. 29.

Subiectum Psalmi hortatio est, qua apud Magnates & Principes vitur Propheta: vt nempe,

Iehouæ gloriam prædicent. ver. 1. & 2.

Principes & eos qui illustrem sedem obtinent in republ. authoritatis & splendoris appellat filios fortium, id est, homines potentia & dignitate præstantes. Sic apud Hebræos iniquitatis filius dicitur, qui iniquus est. Suadet ergo ijs qui vel generis claritate antecellunt, vel authoritate & opibus pollent, vt seposito fastu & propriæ virtutis abiudicata opinione, non abutantur diutius aut facultate ingenij aut potentiæ suæ viribus ad explendam sitim, qua laborant, iniquissimæ cupiditatis: sed quicquid asciuerint dignitatis ac potentiæ, id totum ad diuini nominis celebrationem afferant.

Sed quibus argumentis persuadere vult Propheta tam præclari muneris functionem? Certè à duplici comparatione parium disserit, vt eos ad diuinæ gloriæ prædicationem inuitet. Res conclusa est enthymemate, in hunc modum:

Diuinæ prouidentiæ opera naturalia, vt tonitrua, publicant Iehouæ gloriam: de ea etiam concionatur Dei populus.

Quin ergo (illustrissimi Principes) & vos ad prædicandum Iehouæ nomen acceditis? v. 1. 2. Vbi est cõclusionis istius exornatio, primùm ab adiuncta qualitate honoris, quem Iehouæ deferri oportet: deinde è notata specie honoris: postremò è subiecto loco, vbi exhibendus est. Quod ad honoris adiunctam qualitatem attinet: honor is esse debet, qui Iehouæ illa tam excellenti maiestate non indignus censeri queat. Atq; hoc est *Iehouæ tribuere gloriam nominis eius:* id est, longe amplissimã, qualis nimirum nomini ipsius conuenit. Species honoris, quam notat Propheta, incuruationis vocabulo comprehenditur. Incuruatio coram Iehoua est exter-

na

na quædam Iehouæ adoratio: immo per adiuncti metonymiam eiusmodi adoratio, quæ sincero cordis affectu & fide perficitur. Locus vbi Iehouæ nomen prædicari vult, dicitur *Decorum sanctitatis*, id est, magnificum illud sanctuarium, quod erat diuinæ præsentiæ symbolum & ad eos cultus institutum de quibus in lege Domini præcipitur.

Enthymematis antecedens duo membra complectitur: vnum de prædicatione diuini nominis per *tonitrua*, id est, diuinæ prouidentiæ opera naturalia, à principio versiculi tertij ad medium noni: alterum de laudatione Iehouæ per Ecclesiam, à medio noni versus ad Psalmi finem.

Quod ad antecedentis membrum prius attinet: non erit alienum admonere, vnam operum naturalium speciem tonitru proponi synecdochicè, ad reliqua naturæ opera significandum. Quod certè summo consilio factum est. Etsi enim cætera naturæ opera eiusmodi sint, vt eorum contemplatione possimus facile prouocari ad decantandas Iehouæ laudes, dum scilicet in ijs admirabilem ipsius potentiam, sapientiam, ac bonitatem intuemur: tamen tonitruum ea ratio est, vt hominum sensus paulo vehementius afficiant: immo sic eos percellunt fragore incredibili, vt homines quantumuis torpentes expergefaciant & eisdem contremiscentibus ac inuitis extorqueant agnitionem quandam summæ in Deo potentiæ & sapientiæ.

Verùm vnde constat promulgari à tonitribus Iehouæ gloriam? equidem è descriptione ipsorum, quam Propheta adhibet. Descriptio perficitur adiunctis & effectis. Adiuncta tonitruum vis proponitur versu quarto. *Vox Iehouæ* (inquit) *potenter & magnificè agit.* Tonitru appellat vocem Iehouæ, vt inde constet de efficiente tonitruum & quorsum excitentur, nempe vt per ea homines alloquatur Iehoua eisque de potentia sua & maiestate persuadeat. Hinc est quod tonitribus vim attribuat agendi potenter & magnificè, adeo vt admirationem & terrorem incutiant non mediocrem, vt ea ferè solent, in quibus insigne aliquod vestigium apparet maiestatis & potentiæ.

Sed

Sed enim magnificam istam tonitruum vim & potentiam amplificat Propheta è comparatione Minorum. v.3. Comparatio partibus distincta sic erit:

Aquæ inundantes, cæq, & ventorum impetu vehementius agitatæ & iniectos aggeres illidentes feruntur vi ac fremitu incredibili.

At tonitruum vis ac fragor longè maior & formidabilior existit. Vox Iehouæ (inquit ver, 3.) *est supra aquas multas:* id est, viribus & fragoris horrore admirabili adeo insignis est, vt omnes omnium torrentium & inundationum fremitus quantumuis magnos & furẽtes longissimè superet. Hanc ego versiculi tertij interpretationẽ sequor Tremellio authore & Iunio. Non alienam esse illam constat è versu quarto: in quo comparationis institutæ apodosis, quæ est ver.3. summatim comprehensa, disertius proponitur.

Effecta tonitruum, quibus reliqua descriptionis propositæ pars conficitur, exponuntur ver. 5.6.7.8.9. Vbi docet Propheta nihil esse tanti roboris & firmitatis quod tonitruum vi non deturbetur & radicitus conuellatur: nihil insuper esse quod ad sonitum tam horrendum non contremiscat & consternatione insolita percellatur. Sed particularium effectorum inductionem quæ commemorantur à Propheta videamus. Effecta igitur tonitruum in specie eiusmodi sunt:

1. *Confractio & deturbatio arborum etiam firmissimarum, vt cedrorum.* ver.5.

2. *Concussio & tremefactio montium, vt Libani & Schirionis.* ver. 6. Vbi est exornatio à duplici similitudine, qua montes illi qualitate tremoris conferuntur cum vitulo & pullo vnicornium, vtroque exiliente sesẽque quaquauersus agitante perniciter. Mons ille vterq; erat Iudæis notissimus: Libanus à septentrione claudens Iudæam: Hermon vero (quẽ hîc nomine Schirionis Propheta appellat pro more Sidoniorũ, vt cõstat è 3.c.De. v.8.& 9.) descendens à Libano versus meridiẽ & nonnihil ad occasum vergẽs. Vt Cedrorũ nomine arbores vniuersę quantũuis proceræ & robustę è speciei synecdoche

doche intelligũtur: sic Libani & Schirionis appellatione mõtes alij quicunq; illi tandẽ sint, tropicωs significantur.

3. *Eiaculatio & per aërem dissipatio coruscationum & fulgurum.* ver. 7.

4. *Ferarum in desertis oberrantium eiusmodi consternatio, vt earum aliæ ad sonitum tam horrificum abortire cogantur, vt Ceruæ: aliæ relictis saltibus & nemoribus sese in antra subinde recipiant & in latebras abdant, quousque remisit se tonitruum fragor & immissæ procellæ impetus resederit.* vers. 8. & 9. Versu octauo proponitur in genere exanimatio ferarum. *Vox Iehouæ* (inquit) *dolore afficit desertum*, id est, per metonymiam subiecti, feras in deserto quouis versantes. Desertum illud Kadeschi tradit Moses Deut. 8. & 15. fuisse magnum & formidabile, ac abundasse animalibus quibusdam horrificis. Versu nono cõsternatio illa feris incussa è fragore tonitruum, explicatur in specie è duplici iniectæ consternationis effecto, altero nempe præcipitatæ abortionis in Ceruis, altero susceptæ fugæ in alijs feris ad sese in speluncas recondendum, vt munitæ ac tutæ esse possint aduersus cœli intonantis vim omnem & impetum. Sic enim cum Tremellio & Iunio syluarum denudationem, de qua meminit versiculus nonus, interpretor, vt ea comprehendi & significari statuam non deturbationem aliquam arborum in saltibus & nemoribus succrescentium (nam hoc effectum ver, 5. expositum est) sed vacuitatem quandam & solitudinem à feris, quæ tonitruum fragore vehementius exanimatæ se è syluis festinanter proripiunt vniuersæ, adeo vt ijs denudata iam nemora & exinanita videantur.

Hactenus explicatum est, quemadmodum tonitrua, id est, diuinæ prouidentiæ opera naturalia Iehouæ gloriam promulgent. Restat vt de eadem Ecclesiam concionantem audiamus. Concio Ecclesiæ comprehenditur partim inciso posteriori versus noni, partim duobus sequentibus. Ad eandem tractandam adhibetur primùm dissimilitudo: deinde

inde inductio partium diuinæ gloriæ. Dissimilitudo adhibita ad illustrandum id, quod de gloria Iehouę refert Ecclesia, eiusmodi est:

Tonitrua, id est, *prouidentiæ diuinæ opera naturalia Iehouæ gloriam prædicant ex parte & indistinctè.* Quod versibus præcedentibus exponitur, id huc repetendum est ad constituendam dissimilitudinis propositionem.

At Ecclesia Iehouæ totam gloriam prædicat, idq́; ita explanatè & distinctè, vt facilè intelligi possint quæ dicantur. ver. 9. Vbi est exornatio è subiecto locò, in quo laudes Dei celebrantur.

Inductio diuinæ gloriæ partes recenset, vt inde concludatur prædicari ab Ecclesia gloriam Iehouæ Docet igitur celebrari ab Ecclesia has diuinæ gloriæ partes, nempe:

1. *Potentiam Iehouæ, siue illam in transmittendo diluuio per vniuersam terram & eodem rursus in suos alueos reuocando: siue illam in excitandis ac denuo compescendis oceani fluctibus & inundationibus.* ver. 10. in principio. Hoc enim est sedere in diluuio, exercere scilicet eam in aquas potentiam, vnde constare queat eisdem præesse & dominari Iehouam.
2. *Regium officium Iehouæ. Iehoua* (inquit) *est Rex.* vers. 10. in fine.
3. *Æternitatem Iehouæ. Iehoua* (inquit) *est Rex in seculum.* ver. 10.
4. *Bonitatem Iehouæ, partim in suggerendo robore populo suo belli tempore ad frangendos hostes: partim in communicando benedictiones cum Ecclesia sua tempore pacis & temporarias ad cultum præsentis vitæ & spirituales ad salutem animæ.* ver. 11.

PSAL. XXX.

1 P*Salmus Dauidis, canticum dedicationis domus illius.*

2 *Ex-*

2 *Extollam te Iehoua: quoniam euexisti me
neque lætitia affecisti inimicos meos de me.*

3 *Iehoua Deus mi, vociferantem ad te cura-
sti me.*

4 *Iehoua eduxisti è sepulchro animam meam:
reddidisti mihi vitam, ne descenderem in sepulchrũ.*

5 *Psallite Iehouæ quos ipse benignitate prosequi-
tur: & celebrate ad memoriam Sanctitatis eius.*

6 *Quum momento fuit in ira sua, vita adest be-
neuolentiâ eius. Vespere si diuersetur fletus, mane
adest cantus.*

7 *Ego verò dicebam in prosperitate mea, Non di-
mouebor in seculum.*

8 *Iehoua, beneuolentiâ tua constitueras in mõte
meo robur. Te abscondente faciem tuam fui con-
turbatus.*

9 *Ad te Iehoua clamaui: & Iehouam depreca-
catus sum, dicens:*

10 *Quid lucri erit in sanguine meo, quum de-
scendam in foueam? an celebrabit te puluis? nuncia-
bit ne veritatem tuam?*

11 *Audi Iehoua & gratiam fac mihi: Iehoua
esto adiutor mihi.*

12 *Conuertisti planctum meum in choream mi-
hi: soluisti cilicium meum, & accinxisti me lætitia.*

13 *Vt psallat tibi gloria mea ac non conticescat.
Iehoua Deus mi, in seculum celebrabo te.*

ANALYSIS PSAL. 30.

De Psalmi inscriptione primò videndum est: deinde de ipso Psalmo.

Psalmi inscriptio ostendit

1. *Quis Psalmi author extiterit.* Nonnulli à Zacharia aut Haggeo compositum esse somniant: nec attendunt: interim inscriptione nomen Dauidis exprimi, eique attribui.

2. *Adiunctam temporis circumstantiam, quo dictatus fuerat:* nempe tum, cum de repetenda domus suæ consecratione cogitaret.

3. *Qua occasione adductus Dauid Psalmũ contexuerit:* Ea fuit palatij, quod aliquandiu inhabitauerat & vnde metu imminentis periculi profugerat, repetita dedicatio. Nam cum esset domus Dauidis nefario incestu Absalomi & multiplici insuper aliorum scelerum turpitudine egregiè inquinata: postquam deleto Absalomo & ijs omnibus profligatis, à quibus interitum metuebat, vidit restitutam sibi & maiestatem regij sceptri & facultatem redeundi ad illud quod reliquerat domicilium: tum Dauidi in mentem venisse credibile est recenti ædium dedicatione opus fuisse, ne communicare cum filio in flagitiorum sordibus & inauditæ obscœnitatis vestigia probare videretur. Cogitasse eum de repurgatione domus suæ constat ex ijs quæ 2. Sam cap. 20. v. 3. referuntur. Repurgationem autem illam regij palatij, si dignam putemus quæ suscipiatur à Principe tanto & tam excellenti pietate, quid aliud fuisse statuemus quàm eiusdem religiosam quandam consecrationem? immò illam ipsam dedicationem, cuius meminit Psalmi inscriptio? cum ad aliam nullã commodè referri possit.

Ædium dedicatio quibus ritibus peragi consueuerit, minimè liquet. Fuisse eam institutam diuinitus, apparet è 20. cap. Deuter. Ad eam ornandam & Iehouæ vehementius commendandam accessisse preces & actionem gratiarum, docet murorum dedicatio adhibita Nehemi. cap. 12. Vtrum iam obeunda sit, si quis ambigat, consulat Apostolum disserentem 1. ad Timot. cap. 4. aduersus superstitiosam à quibusdam cibis abstinentiam. Non loquor de retinendis formulis

mulis

mulis & ceremonijs, quibus in præstanda domorum consecratione fungebantur Iudæi: sed de eo omni in praxin reuocando, quicquid in illa fuit perpetuæ æquitatis & vsus. Diuini ergo nominis inuocatio, diuinæ erga nos beneuolentiæ agnitio, & diuini iuris in nos ac nostra omnia commemoratio, retinenda adhuc & studiosè colenda est, si quando ad ædium dedicationem meditemur. Profiteri conuenit Deum solum esse à quo sedes ad habitandum & hospitia nobis tribuuntur: esse nos Dei inquilinos ac quasi feudatorios, ipsique nomine concessæ habitationis annuum reditum deberi, reditum (inquam) piæ integræque vitæ, non autem impiæ & proiectæ ad turpitudinem: nihil esse posse in ædibus, quibus vti volumus, verè iucundi & ad vtilitates nostras opportuni, nisi de earum titulo & legitimo vsu constiterit: rei autem nullum esse vsum legitimum, quæ verbo & precibus non sanctificetur.

De Psalmi inscriptione hactenus. Videndum iam de Psalmo ipso.

Psalmi partes duæ sunt:

1. *Dauidis professio de celebratione diuini nominis*, à principio ver. 2. ad 5.

2. *Dauidis cohortatio vt idem præstetur à reliquo Dei populo.* à ver. 5. ad finem Psal.

Professio Dauidis huiusmodi est:

Prædicabo ô Iehoua gloriam nominis tui. ver. 2. & 13.

Sed quo argumento commotus Propheta ad hanc tam præclari muneris functionem accedit? Venit certè in mentem ipsi quoddam Iehouæ effectum singulare: vnde institutam professionem sic concludit:

Liberasti me Iehoua è malis & angustijs grauissimis. vers. 2. 3. 4.

Itaque prædicabo gloriam nominis tui. ver. 2. in principio.

Pars antecedens euthymematis est expressa varijs loquendi formulis. *Euexisti* (inquit) *me*: id est, coniectum me quasi in abyssum subuexisti, vt pristina incolumitate & splendore frui possim. *Non affecisti lætitia inimicos meos de me*: id est per metonymiã effecti pro causa, concessa mihi liberatione ab

ijs in quibus versabar, periculis, præripuisti aduersarijs meis omnem ansam lætitiæ, quam alioqui ex interitu meo percepissent. *Curasti me ad te vociferantē:* id est, vt æger vi adhibitæ medicinæ valetudinem recuperat: sic tu malis quibus conflictabar, acerbissimis remedium insigne & oportunum attulisti. Denique *eduxisti è sepulchro animam meam:* id est, cum penè actum esset de salute mea, tu mihi succurristi & ereptum tanquam è faucibus mortis ac inferorum pristinæ saluti restituisti.

Videmus iam quàm variè & concinnè liberationis acceptæ beneficium expresserit Propheta: sed addita nihilominus duplici exornatione, altera nempe à comparationibus, altera à notatione causę cuiusdã instrumẽtarię, qua adductus Iehoua Prophetæ cõfecto propè & ad extremũ spiritum reducto subuẽnit. Comparationes, quibus ad acceptam à Domino liberationem orandam vtitur, sunt binæ similitudines: quarum priore liberatio Prophetæ à grauissimis quibus est constrictus angustijs confertur cum liberatione à grauissimo morbo. vers. 3. in fine. Posteriore verò, cum liberatione ab illa misera & deploranda conditione, in qua iacent mortuorum cadauera. ver. 4.

Sed quid causæ subesse dicemus, quamobrem ad Prophetam liberandum accesserit Iehoua? *Vociferabar* (inquit ver. 3.) *ad te Iehoua Deus mi:* id est, confugi ad te opemq́ue tuam summo studio & contentione imploraui. Ac proinde non grauatè me ab imminentibus periculis vindicasti.

Sequitur ver. 5. Dauidis cohortatio, qua persuadere vult pijs ad idem laudationis officium præstandum quo ipse fungitur.

Psallite (inquit) *Iehouæ eumq́; debitis laudibus celebrate.* ver. 5. in principio.

Suasionis argumentum primum est à contemplatione finis. *Par est* (inquit) *celebrari à vobis Iohouam, vt sanctitatis eius, qua tantopere excellit, memoria perpetuò vigeat in Ecclesia.* Sanctitatis vocabulo cõprehendi probabile est sanctissimas illas Iehouæ actiones, quibus & ad suos tuendos, & ad impios plectendos vti solet.

Verùm

Verùm vrget cohortationem suam Propheta ab excellenti Iehouæ effecto:

Illico nos (inquit) *ab afflicta conditione vitæ ad secundam & florentem reuocat.* ver. 6. Vbi sic loquitur *Quum momento fuit in ira sua, &c.* id est, Nō patitur suos nisi ad tempus valde exiguum affligi: immo statim ipsis quasi depulsa caligine afflictionum affulget & de singularibus vitæ bonis prospicit.

Ac proinde vnà mecum de gloria Iehouæ concionamini. v. 5.

Enthymematis antecedens illustrationem habet primò ab efficiente: tum à Comparatione: deinde à speciali instantia seu exemplo personæ suæ.

Efficiens tam promptæ reuocationis à calamitosa & aduersa conditione ad optatissimæ vitæ statum, est illa Iehouæ admirabilis erga nos beneuolentia: quæ versiculi sexti medio notatur. *Vita* (inquit) *adest beneuolentiâ eius*: id est, quia nos insigni amore & beneuolentia complectitur, inde fit vt parum diu in ærumnis & squallore iaceamus.

Comparatio ad expoliendum enthymematis antecedens allata, similitudine continetur, qua afflicta conditio comparatur fletui, secunda cantui, expeditissima alterius in alteram nempe aduersæ in prosperam commutatio commutationi promptissimæ cuiuslibet fletus in cantum, putà fletus vespertini in cantum matutinum.

Specialis instantia desumpta ab ipsius Prophetæ persona tractatur ver. 7. & sequentibus.

Me (inquit) *cum grauissimè affligerer, nempe oppressus penè insidijs & perfidia Absalomi, illico Iehoua à fracta & deplorata conditione ad lætam splendidamq́; traduxit.* v. 12. vbi meminit Propheta choreæ & cilicij. Vt chorea non ducitur nisi ab eo, qui animo admodum læto & soluto est: sic nec cilicium seu vestis lugubris induitur nisi à lugentibus. Ac proinde qui posito cilicio exercet choreas: is intelligi ex eo vult transisse se à deiecta & tristi fortuna ad illustrem & florentem. Quod Dauidi contigit interempto Absalomo & Sheba.

Hinc igitur apparet, è meæ scilicet personæ exemplo, fideles ab

*aduerso statu ad secundum traduci à Iehoua promptissimè.*ver.6.

Antecedente Enthymematis comprehenditur (vt videtis) tum afflictissima conditio Dauidis, tum pristinæ dignitatis ac lætitiæ recuperatio.

Misera illa & luctuosa Prophetæ conditio (de qua meminit vers.8. in fine, & vers.12.) tractatur à principio versiculi septimi ad finem vndecimi. Sed tractationis institutæ partes duas esse video. Earum priore continetur explicatio causarum, quibus commotus Iehoua Prophetam tantoperè afflixerit: posteriore verò, exponitur ratio à Dauide adhibita ad impetrandam è tantis miserijs liberationem.

Causæ, quæ Iehouam impulerunt vt Prophetam exciperet asperius, sunt carnalis securitas Prophetæ & inde orta Iehouæ erga ipsum grauis indignatio. Carnalis securitas Prophetæ versu septimo explicatur, amplificata partim ab adiuncto temporis, partim ab efficiente. *Non dimouebor* (inquit) *in seculum.* Ecce carnalem securitatem in tam excellenti Principe penè incredibilem. Sed quando tandem eò vecordiæ processit, vt de regni sui fœlicitate perenni & immutabili somniaret? *Dicebam* (inquit) *in tranquillitate mea:* id est, tum securus esse cœpi, & somnio quodam perpetuæ fœlicitatis abripi, cum profligatis hostibus & rebus ad voluntatem fluentibus tranquillè Hierosolymis desiderem. At quæ erat tantæ securitatis efficiens? *Beneuolentia tua* (inquit) *constitueras in monte meo robur:* id est, quia pro tua admirabili bonitate regnum meum ita validum ac florens effecisti, vt neque domesticis insidijs labefactari, neque externis viribus conuelli posse videretur, idcirco (quæ est mea singularis amentia) cœpi insolescere, & insigni quadam fiducia niti sapientiæ & potentiæ meæ, oblitus planè nihil esse regni splendore instabilius. *Montis* vocabulo per Metonymiam subiecti notatur arx illa regia quæ in monte aliquo munitiori solebat extrui, non solùm vt minus oportuna esset hostium irruptionibus, sed vt maiestatem quandam præ se ferret, & eo facilius subditos in officio contineret. Atque hinc est, cum Mons principem illam regni sedem

significet,

significet, in qua & maiestas imperij residet, & de reipublicæ totius procuratione plerunque agitur, vt voce montis regnum aliquando intelligatur.

Videmus iam quemadmodum tractetur à Propheta carnalis illa securitas, in quam delapsus est. Iehouæ indignatio inde nata, vers 8. in fine declaratur. *Abscondisti* (inquit) *faciem & fui conturbatus*: id est, lumen vultus & gratiæ tuæ, quo affulgere mihi & omnes sensus meos mirabiliter reficere solebas, intercepisti prorsus & retractum à me homine indignissimo ad tẽpus occlusisti: adeo vt æstu iustissimæ iracundiæ totus ardere videreris. Hinc conturbatio mea, id est, inflicta mihi abs te grauissima pœna & inflictæ pœnæ acerrimus sensus extitit.

Expositæ adhuc sunt causæ, quibus adductus Iehoua Dauidem afflixerit.

Ratio ab ipso adhibita ad impetrandam è tantis calamitatibus liberationem, comprehenditur. v. 9. 10. 11. Ea verò fuit suscepta à Dauide inuocatio Iehouæ, profecta illa quidem ab agnitione seria delictorum & singulari in Iehouæ misericordiam fiducia. *Clamaui* (inquit) *ad te Iehoua*. v. 9. Sed petitionis oblatæ subiectum, quodnam erat? *Gratiam* (inquit ver. 11.) *fac mihi & esto adiutor mihi*. Ecce institutæ supplicationis thesin principem. Versatus est Propheta in summa animi consternatione: sensu acerrimę miseriæ percellebatur parum abfuit quin confectus angoribus concideret. Implorat igitur opem Iehouæ: liberari cupit è mortis periculo, & pristinæ incolumitati restitui. Hæc est illa gratia quam tantopere efflagitat: gratia (inquam) liberationis ab imminenti morte & restitutionis in integrum. Sed quo argumento persuadere Iehouæ vult de concedenda tam excellenti gratia liberationis & restitutionis?

Erepta (inquit) *mihi vita, non possum te apud viuos celebrare, nomine scilicet præstitæ fidei ac promissionis tuæ de hærede & successore regni mei*. v. 10. Quid lucri (inquit) erit in sanguine meo? an celebrabit te puluis? nunciabit veritatem tuam? Perinde est ac si diceret: Regni Israelitici, cuius principatu iam potior, hæredẽ mihi & successorem

cessorem promisisti. Gloriæ tuæ interesse video, priusquam moriar, tibi à me testimonium reddatur liberatæ fidei ac promissionis. At interitu meo priuabere testimonio isto & laude quæ inde oritura est. Quòd si igitur in vita remansero, tantum ex eo lucri perceptrus es, quantum afferre potest gratiæ tuæ & constantiæ in præstandis promissis celebratio.

Ac proinde ne patiare eripi vitam mihi, sed libera me ab imminenti morte & restitue in integrum. ver. 11.

Hactenus exposita est afflictissima illa Prophetæ conditio, Superest narratio, quam adhibet de recuperata dignitate pristina & lætitia. *Conuertisti* (inquit) *planctum meum in choream mihi,&c.* Recuperationem istam pristini status amplificatam à fine reperiemus in principio. v. 13. *Vt psallat* (inquit) *tibi gloria* ac non conticescat: id est, eo consilio me mortis imminentis periculo expediuisti, vt pristinæ incolumitati restitutus prædicem nominis tui laudem ac de ea nunquam conticescam. Vocabulo gloriæ notatur per effecti metonymiam instrumentum publicandæ gloriæ & decantandæ, nempe lingua.

Extremo versiculi extremi membro repetitur Psalmi princeps quæstio, Dauidis nimirũ professio de celebratione diuini nominis. At sicui membro illo postremi versiculi contineri videbitur non tam repetita professio celebrandi Iehouam, quàm inducta comparatio parium ad persuadendum vt idem præstetur à reliquis fidelibus, non valde repugnabo. Nã à principio quinti versus ad Psalmi finem videri potest producta cohortatio, vt reliqui fideles se cum Dauide in promulganda Iehouæ gloria coniungant. Ad cætera igitur cohortationis argumenta non incommodè addi potest & hoc, quod postrema Psalmi clausula comprehenditur.

Ego (inquit) *diuinæ potentiæ, sapientiæ, misericordiæ, & veritatis in promissionibus seruandis gloriam celebrabo in seculum.* ver. 13. in fine.

Itaque & vos omnes, quos benignitate prosequitur Iehoua, vnà mecum Iehouæ nomen prædicate. vers. 5.

FINIS.